ΟΜΗΡΟΥ
ΙΛΙΑϹ

HOMERI ILIADIS PICTAE

FRAGMENTA AMBROSIANA

HOMERI ILIADIS PICTAE

FRAGMENTA AMBROSIANA

PHOTOTYPICE EDITA

CURA DOCTORUM

ANT. M. CERIANI ET ACH. RATTI

PRAEFATUS EST ANT. M. CERIANI



MEDIOLANI

APUD ULRICUM HOEPLI

MDCCCCV

Mediolani — ex Typographeo Umberti Allegretti

NOBILISSIMIS FRATRIBVS

EMMANVELI ET AEMILIO COMITIBVS BORROMAEIS

ATQVE FILIIS AC NEPOTIBVS

ANTONIVS MARIA CERIANI ET ACHILLES RATTI

S. P. D.

Avo Giberto Borromaeo ejusque Filiis Vitaliano atque Renato dicavit Cardinalis Angelus Mai, cum Doctor erat Bibliothecae Ambrosianae, splendidam editionem Fragmentorum Iliadis cum picturis. Vobis, Filiis ac Nepotibus Vitaliani, offerimus alteram hanc editionem, quae novis photographiae et heliotypiae inventis, si minus splendide, fidelius tamen codicem repraesentat. Et duplici jure Borromaeis inscribendae erant editiones, tum quia Cardinalis Federicus, alter splendor Gentis Borromaeae et Bibliothecae Ambrosianae Fundator, pretiosissimum librum in eam intulit, tum quia Bibliothecam ipsam Borromaeae Familiae in perpetuum commendavit. Quanta autem benevolentia et studio Nobilissimi Majores Vestri curam et tutelam sibi a Fundatore commissam gesserint memoriae Bibliothecae demonstrant, et quoad ultimos hos quinquaginta annos nos ipsi testes sumus, et libentissime profitemur.

Valete.

MEDIOLANI, V. KAL. SEPT., MDCCCCV.



PRAEFATIO.

1. Classicorum auctorum in vetustis codicibus indagator sagax et doctus editor Cardinalis Angelus Mai studiis in Ambrosiana Bibliotheca inceptis anno 1810 fastigium imposuit anno 1819 vulgando Homerum pictum; quod in opus collatum fuit quidquid ejus doctrina et artificum illius temporis industria poterat praestare. Ipse anno 1835 Romae picturas et earum descriptionem edidit cum Prooemio breviato et specimine textus. Utraque in editione artifices picturas codicis lineari opere adamussim repraesentare non poterant, evanidas autem vel obfuscatas ingenio suo instaurarunt et compleverunt. Nunc ergo, quando inter tot nova inventa prostat phototypia, quae etsi nondum perfecte ipsos colores, fideliter tamen picturas referre potest remoto artificis arbitrio, aequum visum est ut phototypica editio codicis instauretur; atque Comes Emmanuel Borromaeus, Patronus et Conservator perpetuus Ambrosianae Bibliothecae, ceterique Conservatores ad quinquennium decreverunt, ut sicut prior Angeli Mai etiam nova editio cura ipsius Bibliothecae prodiret. Praestolabar equidem ut ars phototypica eo perveniret, ut colores ipsos plures uno simul actu referret, sed cum nondum id attigerit, censui simplici at sincerissima phototypia jam edere picturas Homeri tam artificiose multicolores una cum textu adscripto.

2. Quae par est me praefari, multa praeoccupavit Angelus Mai exquisita doctrina in priori parte sui Prooemii; haec omnibus prostantia strictius repeto documentis inspectis, et addam quae nova editionis ratio postulat, atque in fine apponam ipsam luculentam Mai picturarum descriptionem, quam is singulis tabellis exculptis subjecit.

3. Codex venit in Bibliothecam Ambrosianam cum libris Joannis Vincentii Pinelli († 1601), quos post longas moras a Ducissa Acheruntina, tutrice suorum filiorum haeredum illius, demum anno 1608 die 14 Junii in auctione Neapoli facta acquisivit Cardinalis Federicus Borromaeus pretio ducatorum MMML; anno autem se-

quenti 1609 libri a Neapoli Mediolanum translati fuerunt. De auctione et translatione referunt literae Fabii *Leuco*, procuratoris Cardinalis Borromaei, diei 17 Junii 1608 et 23 Junii 1609, quae extant in Bibliotheca Ambrosiana, *G. 198. Inf. 255,* et *G. 200. Inf. 88.* Qui plura scire desiderat, adeat Mai, o. c., p. V, Bosca, *De Bibl. Ambr.,* p. 29, ed. primae, et Ceruti, *Bibl. Ambrosiana,* p. 110, in opere *Gli Istituti scientifici, letterari ed artistici di Milano,* 1880, p. 18 in exemplaribus seorsum editis.

4. Initio codicis, ut tunc erat compactus, hi tituli praescripti erant manu sec. XVI in duobus foliis chartaceis. In 1° fol. r. *ζωγραφίαι μερικαὶ τῶν ἐν ἰλίῳ ἑλληνικῶν καὶ τρωϊκῶν πολέμων χρήζουσαι διὰ τὴν ἀρχαιότητα ἀνακαινισμοῦ. καὶ ἱστορίαι μερικαὶ ὡσαύτως δεόμεναι ἀνακαινισμοῦ.* Supra in marg. interiori litera graeca *Σ*, et in medio †. Et infra: *Pitture d'un' Homero anticho, congiunte con li argumenti, e* (corretto *de*) *libri, et alcuni scholij. J. V. P.li* (Joannes Vincentius Pinelli). Neque nota Italica, neque sigla sunt manu Jo.is V.i Pinelli, sed cujusdam ex ejus amanuensibus, ut licet conjicere ex collatis autographis Pinelli et aliorum in codicibus Pinellianis Ambrosianae Bibliothecae *E.* 30. *Inf.* ff. 112, 114, *E.* 34. *Inf.* f. 64, *S.* 106. *Sup.* ff. 5, 38 et aliis multis. Eadem Graeca nota et ejusdem manus ut apparet, repetitur in fol. 2° r. *Ζωγραφίαι μερικαὶ τῶν ἐλλήνων καὶ τρώων ἐν τροία* (sic, *τροίᾳ*) *πολέμων χρήζουσαι ἀνακαινισμοῦ διὰ τὴν παλαιότητα καὶ μερικαὶ ἱστορίαι.*

5. Simul ac codex venit in Bibliothecam, descriptus fuit voce *Homerus* in Catalogo Mss. Graecorum, completo III Non. Feb. anno Salutis MDCXII: *Picturae Homeri antiquae cum argumentis librorum, et nonnullis scholiis. perg. 4. T. 352.* Cum compages vetus dissoluta fuerit in curis codici posterius adhibitis, periit haec nota plutei T. 352, quae in interiori parte tegminis apponi solebat. De hac nota iterum infra.

In fol. recentiori chartaceo his praeposito sec. XVIII ineunte nota est manu Josephi Antonii Sassi, Praefecti Bibliothecae: *Homeri argumenta cum picturis antiquis. B. 88.* Et consonat nota Catalogi tempore ejusdem Sassi confecti: *Homeri argumenta picturis delineata. Graec. B. 88.* (*Sup.*). Hac nota codex signatur etiam in Mai, p. II. Aliquanto post editionem Mai, conclavi Mss. paullum refecto, codex notatus fuit *F. 205. P. Inf.*

6. In his titulis nulla est mentio textus Homerici, quem non animadvertere pronum erat ex conditione codicis et apud Pinelli et in Bibliotheca Ambrosiana, cum illi tituli adscripti fuerunt: illam describit Mai, p. VII, seqq., et praesens habitus codicis confirmat. Nempe codex picturas quidem offerebat, quas interjectas Homeri textui barbara manus exciderat, vix alicubi relinquens scripturae vestigia sub picturis, textus autem extans in antica vel postica picturarum parte coopertus fuerat chartis agglutinatis sec. fere XIII, in quibus argumenta aliquot librorum et scholia Homerica sunt scripta. In ipso fol. XXVI integro, in cuius antica parte textus est super pictura, et in postica inferius, ex conditione codicis charta item coopertus

videtur fuisse textus, pictura solum aperta manente. Eadem ratione coopertum fuisse etiam unum, aut duos versus infra picturam misere superstites, fol. 22, 23, 43, 49, non liquet; sed videtur etiam hic factum ex situ membranae.

7. In hac conditione permansit codex usque ad initium sec. XIX, cum Ambrosianae Bibliothecae Doctores, una alterave charta detracta, latentes carminis formas observarunt, ejusque specimen cum literatis aliquot viris privatim communicarunt. Sed qui tunc erant sodales Mai in Bibliotheca, Cighera nempe, Bugati et Mazzuchelli, ad quem observatorum Iliadis fragmentorum multus honor redundat, codicis edendi curam illi reliquerunt. Hic autem primum removit omnes chartas bombycinas, seorsum eas reponens, a textu gluten abstersit, et nuncium futurae editionis codicis vulgavit, quae prodiit Mediolani anno MDCCCXIX. Picturis repraesentandis usus est Mai opera Emmanuelis Schotti, qui eas graphide intra suum quamque modulum expressit, et aere fideliter et sine lacunarum supplementis excudit: ipse autem amplum Prooemium praeposuit, atque singulis picturis descriptionem subjecit, et textum Homericum, ad quem breves animadversiones criticas addidit, p. LIX seqq.

Mai ipse alteram editionem curavit: *Homeri Iliados Picturae antiquae ex codice Mediolanensi Bibliothecae Ambrosianae, Romae* MDCCCXXXV. Picturis praemisit Prooemium primae breviatum et illarum descriptiones una conjunctas cum specimine textus. Quo in libro, ut declarat editor in Praefatione operis *Virgilii Picturae antiquae ex codicibus Vaticanis* cum priore vulgati, p. 3, Carolus Ruspius tabellas e Mediolanensi editione sumpsit, et Ruspii graphides lithographus opifex in lapide bavarico repetivit, non satis tamen opus lapideum elegantiam graphidum Ruspianarum est adsecutum.

Picturae quinque et tria fragmenta textus ex melius servatis prodierunt in opere *The Palaeographical Society. Facsimiles, Vol. I, London,* 1873-1883, *Tab.* 39, 40, 50, 51.

8. Codex membranaceus est; membrana autem non adeo tenuis ac in multis vetustissimis codicibus, ut scilicet picturam exciperet. Constat foliis 52 separatis, non physice connexis ex plena abscisione marginum interiorum, in quibus textui interpositae sunt picturae 58, et habet praeterea unius picturae segmentum infimum fol. 25 cum duobus versibus.

Haec folia sunt reliquiae splendidissimi codicis Iliadis, quorum nullum alterum subsequitur sine media lacuna praeter 1-2, 4-6, 16-17, 23-24, 32-33: in quibus ipsis tamen desunt versus intermedii propter excisionem membranae non pictae in utraque parte: sed ex numero versuum textus Homeri et ex capacitate membranae deperditae tuto connexio definitur, ut patebit ex descriptione foliorum libri primi, fol. 1-9.

9. Foliorum omnium omnes margines detruncati proxime picturas et textum, qui etiam in primis et ultimis lineis, et in lateribus interdum partim detruncatus est.

Paginae integrae vel una tantum linea plena vel fere abscisa extant, ut mox evincam, in foliis 6, 15, 18, 26, 28, 34, et altae sunt m.m. 178-188. Cetera folia superius inferiusve detruncata altitudine differunt, f. 4 prae aliis superius recisum, et aliquantulum marginis inferioris retinens descendit ad 066, et pusillum fragmentum inferioris partis f. 25 altum est 018. Latitudo foliorum est 220-226, et in fragmento f. 25 minus detruncati est 235.

10. Evidenter qui codicem discerpsit et mutilavit, picturas unice cupiebat, quae fere omnes integrae sunt in foliis, quae ex magna iactura supersunt. In foliis ideo quae habebant picturam unam vel duplicem, totam paginam occupantem, integer textus in opposita folii parte servatus est: in ceteris quae picturas minores paginae altitudine habebant, exstat tantum textus oppositus picturae, vix alicubi sub pictura una vel etiam altera linea textus relicta est, nec fere plena, ut f. 22, 23, 43, 49, vel aliquot literarum ductus superiores, ut f. 50, et quantum apparet f. 12, 38. Varia est autem altitudo picturarum. Latitudo eadem semper, ad totam paginae scripturam se extendens 220-226, nisi quid membranae perierit: de f. 25. jam dixi.

11. Sed optime factum, ut f. 26 r. et v. (186 × 220) textus cum picturis integer superfuerit eo quod textui super picturam in f. r. opponitur pictura in f. v., et textui sub pictura in f. v. opponitur pictura in f. r. Integritatem huius folii plane demonstrat eius conditio. In recto textus a prima linea paginae superius detruncata incipit, cum in f. v. fere plenum reliquum sit septum superius picturae, in imo autem f. r. septo una linea externa rubra recisa sit. A versu autem VIII, 243 ultimo f. r. post duas picturas intactas versus 245 continuat ad 254, cujus pars ductuum superiorum vix superest, ut etiam periit linea rubra externa in septo picturae oppositae. Finis ideo f. r. et initium f. v. sine lacuna se excipientia altitudinem plenae paginae praebent. Versus quidem 244 desideratur; sed potuit omitti ex oscitantia, contextu non reclamante, vel potius deerat in archetypo codicis Ambrosiani; et sane sublestae fidei videtur, ut indicabo in notis ad locum. Codex praeterea, ut alii etiam papyracei, versum unum textus communis poterat omittere.

Ex hoc folio ergo altitudo paginae scriptae et pictae erat 186, et picturae latitudo lineis scripturae aequata in parte antica et postica 220; in antica autem sunt v. 11, in postica 10, quibus opposita erat ex spatio picturae capacitas v. 14 et 15: tota ergo pagina capiebat v. 25, et folium 50. Iste autem numerus linearum constanter apparet in paginis ejusdem altitudinis, in quibus una pars plene scripta est, altera tota picta. Juverit istas describere, ut certe postea concludatur.

12. F. 6, 185 × 226. Picturae duae implent paginam cum septo superiori pleno, et septo inferiori marginis pars superest, ut in opposita pagina scripta, quae continet versus 25, I, 345-369. Nihil ex marginis parte exstante sequebatur in imo folio. Initium autem, cum ex infra dicendis folium 5 excipiat desinens in v. 332,

abscisis in verso imo folio quinto versibus 12 (333-344), plane apparet f. 6 incipere a v. 345. F. sequens deperditum sine picturis habuisset v. 470-419, quod excipit f. 7, in quo excisis in alto v. 420-7 ex spatio picturae inferioris v. 17, in f. v. autem, excisis ut in f. r. v. 428-435, sequuntur v. 17, 436-452.

F. 15, 188 × 220. Picturae duae implent paginam cum septo imminuto in alto, pleno inferius cum residuo marginis, textus V. 1-25.

F. 18, 178 × 220. Picturae implent paginam absciso septo superius, textus V, 634-657, uno versu in alto deperdito pro septo deficiente.

F. 28, 180 × 222. Picturae implent paginam absciso septo superiori, textus IX, 1-25, sed primi versus vix indicia pro septo absciso.

F. 34, 188 × 222. Pictura implet paginam, abscisa parte septi superioris, sed cum margine inferius, verum primi versus pro septo picturae absciso vix indicia, et post v. 25 nullus erat versus ex margine inferiori vacuo.

Et plane eadem ratio f. 44 et 48, in quibus picturis superius partim abscisis respondet textus XVII, 4-25, in quo ex residuo margine finit pagina, et XXII, 4-25.

Jam vero omnia folia pro conditione abscisionis et pro margine inferiori alicubi superstite variant altitudine inter 178-188, et media altitudo est in f. 26, in quo ex eius conditione nihil periit: et omnia folia habent v. 25, praeter f. 26 in quo, spatio picturae ex ipso textu in altera pagina supputato, 25 linearum numerum utraque pagina capiebat.

Aequalitas scripturae in toto codice vetat ne alicui paginae ex diversa proceritate litterarum major vel minor versuum numerus concedi possit.

Omnes denique paginae librum incipientes, f. 1, 15, 28, 34, 44, 48, semper a primo versu inchoant, et in 25 desinunt. Solum fragmentum f. 25, quod ex margine inferiori in textu et in pictura pars extrema folii est, cum desinat in v. 26 libri VIII, videtur indicare versus 26 in ea pagina fuisse; cum ex usu f. 9, in quo, completo libro primo, spatium relictum est vacuum, ut in folio sequenti novus liber inciperet, et ex more foliorum 15, 28, 34, 44, 48, quae ab initio librorum inchoantur, 25 versus pagina contineat. Sed apparens ista diversitas confirmat imo numerum versuum 25 in paginis plenis. Alicubi enim codex Ambrosianus cum aliis omittit unum versum, ac reapse hic versus 6 libri VIII deest in ed. Monro et Allen, Oxonii (1902), etiam in familia d, in Papyro seculi II, et in codd. A D U[1] V[1], et in al.

13. Ex paginarum conditione, ut textum 25 versuum habeant si non pictae sint, et minorem numerum si partim pictae, quae tamen spatio picturae supputato numerum 25 linearum non superant, ut patet ex f. 26, tuto definitur codicem habuisse textum integrum ex foliis 9 servatis libri primi, et ex aliis ullis connexis in corpore codicis; quod ex uno folio 26 certe de toto codice determinari non poterat. Descriptionem do foliorum libri primi: demonstratio descendit ex praemissis jam probatis folia plena 25 versus habere, folia

picta minorem pro picturarum spatio numerum versuum, cujus spatii ratio habenda in supputatione textus illius folii, qui post picturam interjectam non interruptus a praecedenti decurrit, suppletis versibus qui desint ex excisione membranae. Obscura ex descriptione illustrabuntur; quod tamen, ut clare omnia appareant, folia phototypica prae oculis requirit.

14. F. 1 r. Textus extans I, 1-13, abscisi 12=25. F. v. Pictura lin. 13, abscisi v. 12. Textus 13, abscisi 12, 12=37. Pict. 13=50 (Text. in codice integro I, 1-37).

F. 2 r. Abscisi I, v. 38-52. Pictura infra cum lato margine l. 10. F. v. abscisi v. 53-67, restant inferius cum lato margine I, 68-77. Textus 10, abscisi 15, 15=40. Pictura 10=50 (Text. I, 38-77).

Desunt folia 2, lin. 100. Textus I, 78-177. Folia duo deperdita, si connectebantur reapse praecedentibus, sine pictura erant; quia nulla probabili ratione in varia picturarum amplitudine perfecte convenire poterant, nisi integrum textum habuissent; ad summum duae paginae plene pictae adesse poterant, quae locum l. 50 occuparent, et tria folia periissent. Vix enim fieri poterat ut plures minoris altitudinis picturae interpositae adamussim centum lineas occuparent, ita ut quattuor folia desiderarentur. Sed vide infra post Recapitulationem. Haec etiam ad sequentes lacunas transferantur.

F. 3, r. I, 178-190. Abscisi inferius I, 191-202. F. v. Pictura l. 13, inferius abscisi v. 12, I, 203-214 (Text. I, 178-214).

Deest folium unum I, 215-264 (Text. I, 215-264).

F. 4 r. Abscisi in alto I, 265-282: in imo cum margine inferiori I, 283-289. F. v. in alto abscisi I, 290-307, infra Pictura cum marg. inferiori l. 7 (Text. I, 265-307).

F. 5 r. Abscisi in alto v. 12, I, 308-319: restant I, 320-332. F. v. in alto abscisi v. 12, I, 333-344, infra Pictura l. 13 (Text. I, 308-344).

F. 6. Textus I, 345-369. Picturae l. 25. Rectum et versum definire non licet; Picturarum argumentum textum f. praecedentis indicare videtur (Text. I, 345-369).

Deest folium, I, 370-419 (Text. I, 370-419).

F. 7 r. In alto abscisi v. 8, I, 420-427: infra Pictura cum lato marg. inferiori, l. 17. F. v. abscisi in alto v. 8, I, 428-435: exstant infra cum lato marg. inf. I, 436-452 (Text. I, 420-452).

Deest folium, I, 453-502 (Text. I, 453-502).

F. 8 r. In alto abscisi v. 6, I, 503-508, sequuntur I, 509-525, et infra pro spatio septi recisi desunt I, 526-527. F. v. in alto abscisi v. 6, I, 528-533, Pict. l. 19 (Text. I, 503-533).

Deest folium, I, 534-583 (Text. I, 534-583).

F. 9. In alto ex spatio Picturae abscisi I, 584-594: infra Picturam l. 14 amplus margo. F. v. abscisi in alto I, 595-605, exstant I, 606-611, et nota *A* (liber primus) in amplo vacuo pro spatio linearum 8 (Text. 584-611).

Recapitulatio:

F. 1.	I, 1-13.	Absc. 24	P. l.	13 =	50
» 2.	I, 68-77.	» 30	»	10 =	50
Desunt f. 2	. . . .			. =	100
» 3.	I, 178-190	» 24	»	13 =	50
Deest folium	. . . .			. =	50
» 4.	I, 283-289	» 36	»	7 =	50
» 5.	I, 320-332	» 24	»	13 =	50
» 6.	I, 345-369	»	»	25 =	50
Deest folium	. . . .			. —	50
» 7.	I, 436-452	» 16	»	17 —	50
Deest folium	. . . .			. —	50
» 8.	I, 509-525	» 14	»	19 =	50
Deest folium	. . . .			. =	50
» 9.	I, 606-611	» 22	»	14 =	42

spatio vacuo in fine relicto.

Exstant libri primi versus 121, abscisi 190, Picturae 131, sed detractis lineis 2 exsectis cum textu opposito f. 8 et lineis 8 vacuis relictis, quibus opposita est pictura f. 9, numerus 131 reducitur ad 121 quo repraesentantur lineae Picturarum textui oppositae. Folia igitur 9 continebant v. 311, supputatis exstantibus et abscisis, folia sex deperdita, picturis, ut apparet, carentia, habebant v. 300: 311 + 300 = 611, qui est numerus versuum libri primi in editionibus. Textus non interruptus in foliis connexis, et plena utrinque convenientia foliorum deperditorum cum exstantibus indicant integro Homeri operi picturas additas fuisse, neque ejus omissum fuisse quod picturis non referretur.

15. Ex hac supputatione textus libri primi constitisset ex foliis 12, et parte folii 13 pro vers. 606-11, lineae picturarum 131, ex foliis 2, et parte tertii pro 31 lineis: quae folia sine intervallo textus et picturae se excipientia, in fine textus folium postulabant in extremo vacuum. Versus 611 et lineae 131 = 742, et cum vacuo ultimi folii linearum 8, 750:750 lineae plane implent 15 folia linearum 50.

Sed in fol. 9 v. sub nota *A* exstat manu seriori nota ις, quae ex usu codicum Graecorum indicat numerum foliorum libri. Ista nota, ut apparet, codice integro adscripta fuit, et si ex una parte confirmaret supputationem foliorum deperditorum, ex altera dubium excitat, num picturae in illis fuerint; quae si paginam implebant duae erant, sin minores plures, adamussin ad quinquaginta lineas se extendentes in duobus foliis. Sed abundantia picturarum exstantium, quae praecipuas actiones totius libri referunt, alias non desideraret, et si recta est notae interpretatio, fortasse indicaret ante textum fuisse olim Homeri imaginem, ut in codicibus aliquot vetustis Latinis occurrunt illae eorum auctorum, ut omnibus notum est.

16. Ex libro primo restituto, quocum posset et quintus conferri, satis definire licet numerum foliorum codicis. Animadvertere autem oportet ex usu f. 1, 9, 15, 25, 28, 34, 44 et 48 librum quemque a primo versu paginam incipere, ideoque vacui quid relictum fuisse in fine librorum, ut videre est f. 9, picturas vero potuisse minui numero opere progrediente; quam-

quam id minus verisimile sit, cum in libro V, licet lacuna magna interjecta a v. 26 ad 407, supersint picturae octo, et idem dicendum de libris II, VI, VIII, XII, XV, in quibus valde mutilis plures etiam nunc picturae supersunt. Ulli etiam versus textus vulgati, ut in Papyris et aliis codicibus Homericis, desunt in Ambrosiano, et plures alii sane defuerunt in parte deperdita: in foliis exstantibus, ut indicavit Mai in *Animadversionibus*, desunt VIII, 244, XII, 432, XIV, 420, quibus ex supputatione facta addendus VIII, 6, ut supra indicavi, n. 12.

17. In primo ergo libro textus integer, qualiter supra supputavi, habebat v. 611, lineas picturarum 131 = 742, et cum lineis vacuis 8 in fine = 750 = ff. 15.

Tota Ilias habet v. 15693 in ed. Oxoniensi Munro et Allen, a qua vix ulla discedit omittens aliquot versus, ut Heyne 15683.

Iam vero cum versus 611 primi libri contineantur 15 foliis, omnes simul Iliadis versus 15693 postulabant folia 386: quaterniones 48, ff. 2, vel quiniones 38, folia 6.

Ex incerto picturarum numero, ex versibus omissis, ex vacuis in fine librorum, ex deperdito probabiliter primo folio, ut indicavi n. 6, unus alterve quaternio addatur, vel melius eximatur, et foliis circiter 380-390 constitisse codicem statui potest.

In hac supputatione numeros versuum Iliadis assumpsi, omissis lineis Picturarum; sed quae est proportio istarum ad textum, in libro primo computata est, et haec, cum picturae aequabiliter, vel fere textui interponantur, pariter in censum recepta invenitur pro singulis libris, cum ex numero versuum numerus foliorum deducitur.

18. Codicis adeo male tractati nunc supersunt solum Picturae LVIII in fol. 1-24, 26-52, cum interdum pictura totam paginam occupet, vel duplex in una sit, et f. 26 picturam habeat in antica et postica parte; praeterea in f. 25 lacinia tantum extrema superest. Ex conditione libri primi, in quo decem Picturae supersunt, et librorum II, V, VI, VIII, XII et XV, in quibus eadem proportione libri primi interponuntur, ut indicavi n. 16, conjicere licet in 24 libris Iliadis Picturas fuisse circiter 240, quarum quarta pars superesset.

19. Longe major jactura textus, qui tantum cum picturae adhaerebat servatus est: huius vix vigesima fere pars superest.

Subjicio indicem textus et picturarum.

I, f. 1-9, Picturae 10; I, 1-13, 68-77, 178-190, 283-289, 320-332, 345-369, 436-452, 509-525, 606-611. — Summa 121.

II, f. 10-13, Picturae 4; II, 117-125, 310-323, 387-399, 827-840. — s. 50.

IV, f. 14. Pictura 1; IV, 102-115. — s. 14.

V, f. 15-20. Picturae 8; V, 1-25, 407-419, 422-432, 634-657, 765-781, 848-866. — s. 109.

VI, f. 21-23. Picturae 3; VI, 207-225, 282-301 et 305, 407 et 417-433. — s. 58.

VII, f. 24. Pictura 1; VII, 445-458. — s. 14.

VIII, f. 25-27. Picturae 3 et lacinia; VIII, 25-26, 233-243, 245-254, 510-521. Omissus est v. 344. — s. 34.

IX, f. 28. Picturae 2; IX, 1-25. — s. 25.

X, f. 29-31. Picturae 3; X, 168-175, 204-218, 557-568. — s. 35.

XI, f. 32-33. Picturae 2; XI, 562-572, 597-611. — s. 26.

XII, f. 34-37. Picturae 4; XII, 1-25, 139-150, 226-239, 425-438. Omissus v. 432. — s. 64.

XIII, f. 38. Pictura 1; XIII, 393-408. — s. 16.

XIV, f. 39. Pictura 1; XIV, 414-434. Omissus v. 420. — s. 20.

XV, f. 40-41. Picturae 3; XV, 377-398, 671-685. — s. 37.

XVI, f. 42-43. Picturae 2; XVI, 209-225, 758-772 et 783-4. — s. 34.

XVII, f. 44-45. Picturae 3; XVII, 4-25, 88-106, — s. 41.

XXI, f. 46-47. Picturae 2; XXI, 202-213, 393-409. — s. 29.

XXII, f. 48. Pictura 1; XXII, 4-25, — s. 22.

XXIII, f. 49-50. Picturae 2; XXIII, 499 sub pictura, 509-525, 765-778 et sub v. 778 ex plicata membrana pars v. 753. — s. 33.

XXIV, f. 51-52. Picturae 2; XXIV, 244-253, 329-342. — s. 24.

Omnes versus, supputatis etiam paucis quorum reliquiae supersunt, sunt 810, qui partem undevicesimam fere continent totius Iliadis, quae habet v. 15693.

20. Ut superius iam indicavi, n. 9, textus ex excisionibus passus est: alicubi alia sunt membranae damna. Sed etiam ex agglutinatis chartis bombycinis passim infuscatus est et turpatus, praesertim in extremitatibus foliorum, atque cum illae detrahebantur, atramentum interdum pene absumptum est; demum alicubi fuscata est membrana ex tinctura adhibita ad atramentum resuscitandum: quae omnia ex phototypiis plane deprehenduntur. Quin etiam aliqua membranae lacinia detracta chartae adhaesit.

21. In fine linearum vix una periit alterave litera, quia in splendido codice spatium textui largum concessum fuerat; sed initio linearum solum alicubi integra scriptura superest, saepe pars initialis primae literae detruncata fuit, vel etiam periit tota litera et amplius. In toto codice quotus nunc superest, marginibus omnibus recisis, excepto alicubi inferiori, desunt, si tamen in eo apposita extra textum fuerint, nomina poetae et interloquentium, atque numeri versuum per centena, ut fit in papyro Bankes in *The Palaeographical Society,* I, 153, et in *Catalogue of A. Mss. in the British Museum,* I, Tab. 6, et pro nominibus in papyro edito a Grenfell, *Greek Papyri,* I, p. 6, Iliad. VIII, sec. I-II. Verum in utroque deest paragraphus qua codex Ambrosianus poetam et interloquentes distinguit, ut a tertio ante Christum seculum fit etiam in aliis libris, pro qua > apponit papyrus Harris semel prima manu, saepe secunda in *Pal. Soc.*, II, 64, et in Catalogo supra allato, tab. I. Sed memoria notarum et paragraphi servata

est in Iliadis libro V, sec. III, *Oxyrhynchus Papyri,* II, *Pap.* CCXXIII, ubi notae et paragraphus saepe, non semper, apponuntur. Ex his dubium est, an unquam notae praeter paragraphum adfuerint in codice Ambrosiano. Nec tituli in fronte, si erant supra textum, superfuerunt.

22. Compago codicis ex hac conditione definiri nequit, nec si notae quaternionum vel quinionum appositae fuerint. Post desectionem codicis pars ima foliorum saepe complicata fuerat et etiam perforata est, unde viderentur folia ex inferiori parte in marginem internum delata, et crasse compacta. Sed etiam ista rudis compago evanuit cum chartae bombycinae detractae fuerunt, ut dixi n. 7, et nunc singula seorsum folia supersunt margine interiori detruncato.

23. Scriptura plane specialis, de qua difficile erat iudicium, illustrata est demum ex duobus papyris sub finem seculi elapsi repertis et tabulis repraesentatis. Prior est fragmentum Iliadis II, 1-877, quod editum fuit in libro *Hawara, Biahmu and Arsinoe, by W. Flinders Petrie,* 1889, quem frustra conatus sum acquirere, sed unius paginae partem dedit Kenyon, *The Palaeography of Greek Papyri,* p. 100. Alterius papyri tabula eiusdem libri II, 730-828 extat in opere *Oxyrhynchus Papyri,* I, p. 46. Primum indicabo literis *PA*, alterum *PB*, et codicem Ambrosianum *CA*.

24. Alphabetum duorum papyrorum, forma imminuta et sicciori, delineavit Kenyon o. c., p. 128, tabula n. 17; solum in autotypiis *P* non descendit, nec lineola Θ altior, sed inferior centro est, et contra autotypiam, p. 100, basis linearum rectarum in pluribus literis non indicatur, in aliis minus recte, et omittitur tenuis ductus in secunda linea recta ejusdem literae; sintne autem lineae istae perpendiculares, an obliquae, eadem est ratio. Ista basis mollior est in tabula *PA*, firmior in *PB*, sed ut in papyris forma minus sibi constat. Homerus Ambrosianus plane convenit cum singulari typo duorum papyrorum, nisi quod magis sibi constat in delineatione literarum, et in basi linearum rectarum; quod quidem procedit ex natura materiae scriptoriae, papyro et membrana.

25. Species literarum eadem prorsus in omnibus tribus, sed plane dissimilis ab ea quam caetera exhibent alphabeta Kenyon in tabula indicata a sec. III ante ad sec. III post Christum. Ista tamen collatio cum alphabetis Kenyon, quae, ut res ipsa ferebat, anatomice, ut ita dicam, et diminuta literarum ossa exhibent, diversum tantummodo ac generalem typum repraesentant singularum literarum; sed convenientia scripturae in *PA*, *PB* et *CA*, et horum trium dissimilitudo ab aliis Papyris scripturae uncialis rotundae, et a codicibus membranaceis antiquissimis sec. IV vel fere, vividius ac plenius deprehendentur, si autotypicae omnium tabulae conferantur. Tabulae istae prostant in editionibus papyrorum et saeculi quarti codicum, magnam partem etiam in opere *The Palaeographical Society;* sed opera esset inanis describere ex eis singillatim accidentia scripturarum longa et laboriosa tracta-

tione, quae languide tantum ac valde obscure propria singulis amanuensibus repraesentaret, qui spontanea motione scribentes numquam mathematice in ductibus literarum sibi constant, quasi plumbeis typis describerent, sed tamen earum formas proprias sibi ac vividas referunt semper. Cur ergo lectores salebrosa tractatione detinerem, ut imperfectissime doceam, quae ipsi compendiaria inspectione facile et plene cum voluptate addiscerent?

26. In istis autem tabulis vix unus alterve papyrus proceritate et specie scripturae libris *PA, PB* et *CA* accedit, propius est fragmentum Olynthiacae secundae Demosthenis in Kenyon, tab. XVI, p. 86, nec illorum tamen typum plene refert. Omnino isti, et praesertim *CA* constans sibi magis ex materia membranacea, uni inter omnes accedunt ad severam et antiquitatis tenacem elegantiam et constantiam Inscriptionum, atque ut in istis proceritate aequantur literae omnes praeter literas *Φ* et *Ψ*, quae in vetustissimis etiam papyris supra et infra exeunt: literae quoque *P* et *Y* aliis aequantur, quae fere semper, vel in vetustissimis papyris descendunt.

27. Sed illud singulare est codici *CA,* ut minorem constantiam ductuum tueatur, saltem ut mihi videtur, in literis, quae latino alphabeto desunt, nisi lineis rectis constant, atque in literis, quae, si eaedem in graeco et latino, non plane formam eandem in scriptura ejusdem aetatis habent. Quoad priores conferantur *Ξ Φ Ψ Ω*, dum contra *Γ Δ Λ Π* forma constanti exarantur, ut etiam *Θ*, quod est litera communis *O*, sed inscripta lineola recta. Quoad alteras haec noto. *B* latinum in capitali et unciali vetusto dilatat semicirculum inferiorem, graecum in papyris literatis aequalibus fere circellis gaudet, *CA* interdum aequales apponit, saepe inferiorem protendit, nec adeo tamen ut fit in latino, et tota litera ductu inconstanti scribitur, ut videre est in litera quater occurrente, VIII, 249. *E* plane differt in capitali latino, formam habet eandem sed differentem ductum in unciali vetusto, *CA* imitatus graecum *PA* et *PB* minus aequabiliter scribit. *M* sequitur formam *PA* et *PB*, satis frequentem in graeco fere similem jam a tertio ante Christum seculo, sed plane diversam a latina capitali et unciali, et exaratur manu minus firma, nec assueta formae. *P* plane refert *P* latinum capitale et unciale vetustissimum in semicirculo, nisi quod inferius conjungit, semper quantum apparet, hastae, ut in *PA* et *PB*, in quibus tamen semicirculus est rotundior et magis dilatatus; ex graeca autem forma in *CA* semicirculus qui oblongus et apertus inferius est in latino, rotundus formatur et clausus, et ex inaequali forma amanuensis non ei assuetus videtur. *T* plane differt in linea superiori a latino capitali et unciali antiquo, initium ejus lineae extollitur, ut in *PA,* et coalescit inconstanter cum ductu superiori finali literarum *K*, *Π* et *Σ*, quae conjunguntur, ut X, 559, 562, XI, 609, 610, non uniuntur, ut XI, 611; XVI, 211 217; XXII, 13, XXIII, 523; satis constanter autem, quantum vidi, cum illo literae *Y*, ut XIV, 427, 428, in quo versu primum

Y unitur, alterum finale non unitur sequenti *T* in altera voce, quae sensu dividitur, tenuissimo etiam spatio relicto, in quo punctum ex usu codicis et colore posterius judicandum.

28. In *CA* initio lineae hasta perpendicularis *T* incidit in eandem lineam rectam literarum, quae a ductu recto ordiuntur, et pars prior lineolae superioris exit, ut XII, 4, 12, 18, et constanter quantum vidi. Ut *T*, etiam literarum *M*, *Π* linea initialis perpendicularis incidit in rectam aliarum literarum, et levis ductus exterius egreditur, non tamen constanter, ut videtur; conferre licet *M*, I, 180; II, 392; XII, 429, ubi exit ductus, II, 315, ubi non videtur exire: *Π*, II, 827; XII, 427, in quibus exit ductus, et non videtur exire XII, 437; sed non constanter lineolam extra profert etiam in contextu. *Φ* primum semicirculum extra ductum perpendicularem retrahit, ut VI, 285; XI, 603: et *Ψ* obliquum ductum priorem, V, 635. De omnibus ductibus istis in marginem retractis animadvertendum aegre in phototypia saepe apparere, aliquanto magis in membrana fusca ex impressione atramenti, fere tamen ex solo ductu perpendiculari de projectione in marginem constat. Num idem occurrat in *PA* et *PB* ex pusillis tabulis quas habeo, nihil dicere possum; sparsim similis retractio in iisdem literis occurrit in Papyris codice *CA* antiquioribus, idem usus, imo plenior, in codicibus seculi quarti et sequentium: in latinis scripturae capitalis rusticae et in uncialibus vetustis similis occurrit retractio ductuum qui praecedunt lineam initialem rectam perpendicularem. Haec in heliotypicis editionibus et collectionibus tabularum videre licet.

29. Literae in *CA* altiores prae latitudine sunt quam in *PA*, *PB*, et in aliis similibus papyris et codicibus vetustis; ita ut lineae rectae exiliores appareant: qua in re *CA* accedit usui communi latino Inscriptionum et codicum capitalis rustici et uncialium vetustiorum, quorum tabulae passim prostant.

30. Demum quod nec in *PA* et *PB* aliisque papyris occurrit, nec in codicibus graecis puris, in *CA* ductus rotundi crassiores oblique ad lineam perpendicularem scribuntur ab imo superius, ut editio ostendit, et usuvenit in latino in papyris capitalibus Herculanensibus, in codicibus capitalis rustici et in uncialibus vetustissimis, quorum tabulae in *The Palaeographical Society*, et in Zangemeister *Tabulae codicum Latinorum*, et alibi exstant.

31. Major proceritas literarum et obliquitas ductuum rotundorum, propriae latinis priorum seculorum una cum inconstantia in scribendis literis pure graecis, vel communibus utrique linguae, sed ad formam graecam accedentibus in *CA*, videntur mihi innuere latinum scriptorem.

32. Scriptura continua est et aequabilis, ac spatium constanti aequalitate inter singulas literas relinquitur, quod satis amplum quidem est contra morem latinum vetustissimum, et communem graecorum, sed propiores habet *PA* et *PB*, minori tamen constantia ut in papyris.

33. Initio linearum nulla est litera major, neque initio librorum, ut conjicio ex indiciis literae *Ω* in versu primo libri IX; non est certo, ubi textus distinctus a praecedenti ante picturam post istam continuat, ut VIII, 245; XVI, 783, neque ubi distinctio paragraphi apponitur. Omnes literae a sua linea recta initiali, vel a medio curvaturae in rotundis, perpendiculares sibi sunt, exceptis *Μ Π Τ Φ Ψ*, quae, ut jam dixi, extra perpendiculum, non tamen omnes constanter, retrahunt ductum in marginem ante lineam rectam. Linea sicca non apparet dirigens scripturam, ut in codicibus membranaceis usuvenit, sed ista septo picturae respondet, ut fol. 26 r. et v., et f. 43 v. VIII, 233-254; XVI, 783. In fine linearum nulla item linea sicca apparet quae limitem statuat. Sed si lineae erant, evanescere potuerunt, cum ab utroque latere extrema pars membranae charta agglutinata molliebatur et comprimebatur.

34. Universim fere scriptura non procedit ultra perpendiculum septo picturae definitum, nec ipsum imo attingit; rarissime tamen post excisionem, quae prope aut in septis utrimque fit, una alterave, etiam tres literae perierunt. Cum versus finit cum septo vix alicubi literae ultimae forma est imminuta, ut XXI, 404, aut literae extremae coarctatae, ut XXIV, 245; cum autem literae abscisae sunt extra perpendiculum septi, quae ante eas adhuc exstant, nec formam minuunt, nec coarctantur, ut XII, 149, 429; XV, 684; XXI, 405; XXIII, 775; et nisi quid alicubi coarctari extremae literae videntur, ut XII, 23. Lib. XXIII, 768 exstant aequales literae *ΟΔΥΣΣ*, abscisis finalibus *ΕΥΣ*, superius autem inter *ΣΣ* superscriptum est parvum *Σ*, et a fine alterius *Σ* mutati in *Ε* est *ΥΣ* minutum: in loco maxime sordido vix in ipsa membrana istae literae apparent ex perluciditate atramenti, et rudiores sunt, nec per se a qua manu sint possum deprehendere; sed recentiores dicendae ex more codicis, qui nullibi similia offert, et ideo superscribi non potuerint nisi post abscisionem quae longe postea facta est, ut infra apparebit. Utrum autem literae abscisae minuerentur, an aequales procederent, per se incertum: cum tamen praecedentes non imminuantur, et spatium ut in magnifico codice latum esset, crederem aequalitatem scripturae et in fine linearum post abscisionem continuasse aeque ac fit in *PA*, quocum adeo convenit *CA*. Splendidus Odysseae papyrus in *The Palaeographical Society*, Ser. II, 184, et Iliadis in *Pal. Soc.* I, 153, aequalitatem item scripturae in fine fere retinent. Interdum idem occurrit in picto Virgilio Vaticano, in quo nunc aequales literae, nunc minores in marginem exeunt.

35. Scriptioni demum dirigendae lineas siccas appositas fuisse, quibus basis literarum inniteretur, certo constat ex fol. 26; in eo, ut melius deprehenditur in ipsa membrana, profundus ductus stili apparet ex parte carnis membranae in f. r. VIII, 233-243, ubi colores picturae fere perierunt in linea sicca; in f. v. autem VIII, 245-254 prominet linea ducta in f. recto. Alibi vix indicia apparent huius lineae, quae etiam minus in editione deprehendi possunt,. et videntur evanuisse

ex humiditate coloris picturarum, ex superpositione chartarum, et ex tanta codicis vexatione, quam subiit. Literae basi insident, ut ex fol. 26 apparet, ita tamen ut interdum quid ab ea descendant, de more autem basis obliqua lineae rectae literarum.

36. In media linea, ubi interpunctio ex contextu fuisset ponenda, non occurrit separatio vocum, spatio majore relicto, nisi tenuissima eaque rarissima. Ita I, 283 *χολον ος*, VIII, 245 *φατο τον*, XIV, 428 *αυτου τον*, ubi ex primo *υτ* clarior distinctio est, 429 *πονου οφϱ̇*; sed I, 188 *φατοπηλειωνι*, V, 426 *φατομειδησεν*, et alibi nullum est spatium ; interdum in similibus dubium est utrum spatii quid intersit. Quam pusillum sit spatium inter voces relictum patet ex locis adductis, adeoque parvum est, ut idem interdum sit, ubi nulla est causa distinguendi, ut VI, 429 *πατη ϱ και*. Punctum quidem interponitur in locis allatis cum spatio vel sine eo, etiam in ultimo loco VI, 429 post *η*, non tamen post *ϱ*. Sed vix de ullo puncto ex colore evanido dubitare liceret, sitne primae manus: verum ex forma varia, ex loco incerto, et ex colore diverso atramenti seriora judicanda omnia puncta, praesertim ubi sine spatio inseruntur: in codice autem tam accurato et eleganti spatium puncto dandum erat conveniens, loco regulari adscribendum et forma constanti, ut de apostropho et spiritu aspero primae manus fit, de quibus mox. Quod plane confirmat eorum absentia in similibus locis, ubi membranae minus conspurcatae sunt manibus serioribus et nitidiores sunt, ut XV, 377-398; XXI, 393-409: quae vero rarissima sunt in contextu, et saepius in fine versuum, ex colore longe seriora evidenter apparent.

PA in Kenyon, Tab. XX, p. 100 inserit punctum II, 701, *ημιτελης.τον*, et lineolam 708 *αϱηιος'ουδε*, sed nullo spatio literae separantur, nec qua manu sint indicatur in Kenyon: in eodem ulla puncta in fine versuum conspiciuntur, quorum item aetas non indicatur. *CA* ea serioris aetatis saepius habet in contextu sine spatio et in fine, ubique autem satis inordinate.

Quantum vidi distinctio, spatio relicto inter voces, jam apparet, saltem sparsim, a tertio A. C. seculum et deinceps in papyris literatis non Homericis, ut in ipsis Herculanensibus, *The Palaeographical Society*, I, tab. 152, col. *a*, l. 6, *b*, l. 3, 5, 8, 9, tab. 151 minus frequenter, col. *a*, l. 7, *b*, l. 8, 22, in qua tabula subsequitur paragraphus. Conferri possunt in eodem opere, I, tab. 126; II, 180, in *The New Pal. Soc.*, tab. 2; in Grenfell and Hunt, *The Oxyrynchus Papyri*, I tab. IV, II tab. III, et antiquiores sec. III A. C. tabulae in *Flinders Petrie Papyri* I, tab. II, IV, V, VII, VIII, X, XXV, II, tab. XVII A, XVIII col. 4. In omnibus istis tamen spatium latius est quam in *CA*. Aliter est in papyris Homeri: inspexi eorum tabulas in operibus allatis, sed quantum memini nullum spatium ad distinguendum vidi relictum, ubi ex ratione, qua distinguit *CA*, et ipsos distinguere oporteret; qui usus continuavit in ipso Homero unciali palimpsesto sec. VI, in tab. *The Pal. Soc.* II, 3, et in sex tabulis ed. Cureton.

Omnibus his consideratis putarem in *CA* rarissimam quidem distinctionem aliquam fieri in medio versu; sed haec adeo tenuis est prae illa papyrorum quos indicavi et tam inconstans, ut tribuenda sit sensui distinctionis in inconscio scriptore, qui incaute contra usum papyrorum Homericorum ipsiusque sui archetypi in suum exemplar induxit illam alicubi et longe breviorem distinctionem spatio relicto, quam in aliis libris non Homericis agnoscebat, et cui in his fortasse describendis assuetus erat.

37. Cum interpunctione connexa est paragraphus, quae jam a tertio A. C. seculum apparet in papyris literatis, etiam in papyro Timothei saec. IV-III A. C. Eius usus varius est pro indole librorum, semper tamen distinctionem indicat, et fere conjungitur in libris non Homericis cum spatio inter voces in textu, vacuo relicto simpliciter, vel praecedente puncto, vel lineola superiori cooperto; exempla omnium exhibent tabulae jam indicatae pro interpunctione n.° 36. In *CA* inservit distinguendis personis colloquentibus, et poetae narratione ab istis, deinde sed non constanter in narratione poetae, ubi longior textus novam sectionem videbatur requirere. Saepe quidem, etiam ubi codex ab initio scripturae excisus non est, sordes extremae membranae offuscat paragraphum, quae in ipsa tamen melius quam in phototypia saepe deprehenditur ex atramento pellucente; sed satis frequenter nota perspicua est, ejusque forma et positio tuto definitur. Cujusvis modi exempla affero. Paragraphus distinguit personas colloquentes, I, 286; XI, 606, 608; XII, 231; XVII, 19; XXI, 394; XXII, 15. Poetae narrationem resumit, I, 188, 285; VI, 286; XVII, 18; XXI, 400; item post picturam VIII, 245, et, ut apparet, XXIII, 499, sed etiam hic intrat poeta; contra XVI, 783, ubi continuat narratio, nulla est paragraphus, et quae appareret in phototypia post picturam est e corrugata membrana. Longioris textus poetae sectiones distinguit, II, 828, 835; XV, 390, ubi in phototypia celavit membrana plicata: sed XIV, 415-432, si fuisset paragraphus, tuto deprehenderetur ex minus sordida membrana, at nulla est: satis demum probabilis paragraphus ante similitudinem XV, 679, sed deest IX, 4.

Non ergo constans fuisse videtur usus paragraphi in sectionibus distinguendis: contra in distinguendo colloquentes et poetam, cum ex toto codice inspecto satis illa appareat, ubi usus postulabat et per membranae conditionem deprehendere licuit.

Forma paragraphi, semper sibi constans, ex locis supra indicatis dignoscitur. Semper autem incipit super initium literae, quae primo ductu recto vel dextero circulo exorditur, et in ea desinit. In *Α* et *Δ*, ut apparet, medium paragraphi incidit in verticem literae, ita ut initium sit idem ac in aliis a linea recta vel circulo incipientibus: in *Τ*, cuius ductus superior ante hastam retrahitur in marginem, incipit super hasta et paullum literam praetergreditur: in *Ω* ab initio literae incipiens vix exit ab eius linea media recta: exemplum literarum *Β, Γ, Η, Θ, Ι, Κ, Λ, Μ, Ξ, Ρ, Σ, Υ, Φ, Ψ* non vidi si recte me-

mini: in duabus ultimis forma literarum et pars initialis literae in margine quandam loci diversitatem postulare poterant; sed positio paragraphi indicaret numquam in marginem retractam fuisse; quod certo pronum est inferre ab usu codicis pro literis a linea recta vel circulo incipientibus, quarum exemplum non occurrat in locis quos supra enumeravi. In tabulis papyrorum Homericorum, quas inspexi in libris quos saepe affero, non offendi paragraphum, nec etiam in codice palimpsesto edito a Doctore Cureton, praeterquam in Iliade sec. III, in editione *Oxyr. Pap.*, II, pag. 99-108, in qua repraesentatur linea simplici, et saepius cum linea a cujus medio dependet alia obliqua: vim eandem habet in eo paragraphus quam in *CA*, sed rarior est usus ejus neque constans. Fortasse latet paragraphus in *diple* papyri Harrisii, *Pal. Soc.*, II, 64, in quo 1. m. semel occurrit, v. 97, inducens loquentem Achillem; sed deest in caeteris multis dialogis utriusque columnae. Sed apponitur paragraphus ut in *CA* in codice Veneto jam autotypia edito, qui tot studia Alexandrina Homeri refert. Papyrorum *PA*, *PB*, tam similium codici *CA*, eas tabulas non habeo, quae initium linearum exhibeant in locis ubi esse posset paragraphus. Sed in nullis papyris Homericis et non Homericis eam formae constantiam vidi fere lapidariam quae obtinet in *CA*: eandem offendi in codice Pentateuchi Septuaginta Ambrosiano *A*. 147 *Inf.*, saec. IV-V, qui pure Graecus elegantissima refulget calligraphia. Forma plane eadem est, sed est extra textum prope basim literae initialis lineae concludentis divisionem. Alios codices graecos non vacat adducere; cf. si placet, mea *Monumenta sacra et profana,* tom. III, Praef., p. XIV-XV.

In codicidus Latinis vidi paragraphum ejusdem formae in Virgilio picto Vaticano 3225, interloquentes inducit, narrationem, similitudinem distinguit; sed rarior est quam in *CA,* et saepe manu seriori, ut ex colore editionis apparet et ex inaequali ductu, linea obliqua inferiore augetur.

38. *CA* ut nunc est, saepe plenum systema apostrophi, spirituum, accentuum et aliarum notarum exhibet, sed solum certe prima manu apostrophum frequentissime, diaeresin saepe, spiritum asperum raro. Forma horum primae manus constanti aequalitate scribitur ac literae. Exempla aperta non fuscata do ex fol. 47, XXI, 393-409, et fol. 49, XXIII, 509-522, in quibus maxima pars membranae nitida est, et colores atramenti melius in membrana ipsa apparent: singula ulla exempla addam ex aliis foliis membranae aeque nitidae pro loco allato. Ubi autem color eorum idem est ac primae scripturae et forma constans, tuto definitur illos esse primae manus.

39. Apostrophus, XXI, 394 *αυτ'*, 396 *διομηδε'*; XXIII, 511 *αλλ'*, *λαβ'*, 513 *τϱιποδ'*, 514 *αϱ'*, 516 *εχ'*, 517 *τ'*; I, 70 *τ'* bis, *ηγησατ'* 71; VI, 217 *ξεινισ'*; XIV, δ', 416, 419, 427, *επ'* 419, *οφϱ'ικεϑ'* 429, *ποικιλ'* 431. Omittitur autem XXI, 400 *κατ;* XXIII, 513 *ὑφ*, 514 *επ;* XIV, 423 *αλλ.* Omnibus fere literis vidi apposítum, ad finem vel paullum ante finem retractum, ut videre

est in exemplis allatis et in aliis locis, quos non vacat recensere.

40. Diaeresis est XXI, 394 *κυναμυϊα*, 406 *γυϊα*, ubi primum punctum coalescit cum accentu posteriori; XXIII, 512 *ϋπερθυμοισι*, 513 *ϋφ*, 514 *νηλήϊος;* X, 565 *ϊσαν*, 567 *εϋτμητοισινϊμασι;* XIV, 421 *ϊαχοντες*, *ϋϊες*, 433 *εϋρρειος*.

41. Spiritus asper rarus est, et solum in literis *ο* et *ω* videtur appositus, ut *ὁς* XXIII, 517, II, 831, XII, 228; *ὡι* XV, 397. Forma ejus sibi constans est, et super litera apponitur; lineola tenuissima vix interdum apparet in editione, sed certa ex codice. Mai quidem in Prooemio suae editionis, p. XXXIII indicat formam spiritus asperi *H*, et cautius in Animadversionibus, p. LXI ad VI, 297 scribit: *ᴴIKANON. Notandus spiritus formae antiquissimae, et quidem ut videtur reliquae scriptioni coaevus.* In phototypia superscribitur reapse quod parvum *H* referre videtur, sed quod in ipsa apparet, et magis in membrana, inferior pars primae manus ex forma et colore est diaeresis, superior autem, coalescens inferius cum altero puncto diaeresis et vix distincta a primo, est atramenti diversi coloris, et nota serior vocalis brevis, ut alibi occurrit, manus item serioris. Sed vix intensissimis oculis color diversus et levissima separatio deprehendi poterat, tempore autem editionis Mai palaeographia papyrorum uncialium nulla erat, nec etiam illa vetustissimarum Inscriptionum multum profecerat. Nullam formam spiritus asperi litera *H* superscripta repraesentati memini me vidisse in multis quos vidi papyros; in Inscriptionibus autem vetustissimis vocali praeponitur, neque in omnibus regionibus occurrit, atque cum receptione generali alphabeti Jonici ubique cessavit.

42. Notis istis primae manus rarissime videretur accentus circumflexus addi prima manu ex colore, sed eadem forma, incertae manus ex colore alicubi, serioris certe est ex ipso in aliis multis. Occurrit ejusdem formae ab incerta manu et a seriore certa XII, 232 *μῦθον*, 233 *σπουδῆς*, 433 *χερνῆτις*; XIV, 418 *ὦκα*, 419 *αυτῶι*, 425 *δῖος*; XV, 397 *ὦς*, ubi evidens accentus serior ex colore diverso ab eo spiritus primae manus, et ex ipsa positione fortasse; XIII, 407 est *δινὼτῆν*, ubi accentus gravis longe serior more veteri penultimae vocali superscribitur, et circumflexus pro gravi ponitur. Item fit in Bacchylide, Ode X, 39, *τιμᾶν* pro *τιμάν*, fortasse, Ode III, 23 *επεῖ ποτε* pro *επεὶ ποτε*. Indicia ejusdem usus supersunt, videtur, in codice Laurentiano Sophoclis, in quo 1 m. est *λαβῶν* in Antigone 916, *μαθῶν* in Oedipo Tyranno 1128, correcta *λαβὼν*, *μαθών*. Pro longis et diphthongis saepe idem est 1 m. in codice Ambrosiano jam dicto n. 37, ut videre est in primis ipsis paginis editionis. In *CA* accentus iste circumflexus, si incertae alicubi manus videtur color ex conditione membranae, serior et ibi dicendus ex locis multis ubi clare color discerni potest et plane alius est ab illo primae manus. Omnino seriorem esse comprobatur etiam ex locis, ubi colorem eundem et a prima scriptura diversum habent posteriores similes notae et

aliqua additio, quae seriores certe sunt ex forma, colore et scriptura.

43. Praeter notas allatas primae vel incertae manus, eaedem et plurimae aliae occurrunt, variae etiam in singulis formae ac diversae aetatis, ut dignoscitur ex forma, atque in ipsa autotypia saepe, ac melius in membrana ex atramento. Non tamen semper apponuntur, neque eadem frequentia in singulis foliis; ut omnino videantur additae ad libita diversorum lectorum, non certo proposito, ut in codice Vaticano Biblico et in Ambrosiano dicto, n. 37, ut plene textui apponerentur. Sunt autem istae notae: Spiritus lenis et asper, qui saltem asper post praepositionem interdum superscribitur vocali verbi simplicis: diaeresis *I* et *Y*, tum initio tum in medio vocum: *ὑποδιαστολή* (,) etiam cum puncto superius (;), quod tamen utrum cum , connectatur nescio, cum longe distet, ubi vidi: *ὑφέν*: notae vocalis brevis et longae: frequentissime accentus omnes, qui etiam duplex uni voci superponitur, et interdum ex veteri more, ut gravis super penultima vocali apponatur. Non vacat in re tam levi indicare locos, cum omnia prostent in ipsa autotypia.

44. Interpunctionem primae manus certam vidi nullam, vix dubiam in uno alterove loco,qua de re supra dixi n. 36. Sed serius larga manu, nec tamen ubique, puncta apponuntur satis indiligenter in medio et in fine versuum.

45. Puncta reprobationis vidi XII, 229 super *πε*, sed ex colore ipso non videntur primae manus; omissa autem sunt in uno alterove loco, ubi literae reprobandae. Istae autem alicubi leviter erasae fuerunt, ut XXII, 17 *το:* sed a qua manu sit rasura nemo dixerit; ubi fit ex ipsa autotypia rasura dignoscitur.

46. Correctiones primae manus nullas vidi; de ullis correctionibus rasura factis incertum per se ut dixi judicium; posteriores aliquot sunt, et ex colore et scriptura diversi temporis, quas ipsa editio repraesentat.

47. Apostrophus et caetera, de quibus dixi nn. 38-46, quantum ad papyros Homericos attinet, jam plus minus ante Christum occurrunt, raro primae manus, saepe serioribus, sed numquam constanter. Consuli possunt Tabulae saepe indicatae et aliae in editionibus a me non inspectis; mihi sufficiat indicasse *Palaeog. Society*, II, 64, I, 153, *Oxyrhynchus Papyri*, II, p. 96 seqq. et tabula, quocum ex Papyris non Homericis conferunt editores, p. 96, Bacchylidem antiquiorem, qui largus est in istiusmodi additamentis etiam 1 m.; de Bacchylide vide ed. Kenyon p. XX, et totam autotypiam.

48. Denique de scriptura prima adnotandum aliquam literam atramento seriori retractatam fuisse, imo etiam deformatam; nigrius atramentum interdum, vel forma indicat ista in ipsa autotypia.

49. Scholia ulla etiam adsunt diversae aetatis, sed longe seriora, saeculorum fere IX-XII: ista Mai refert in suis *Animadversionibus*, et quantum apparent in codice, satis prostant in autotypia: ista in parte sinistra membranae et in margine inferiori sunt, atque

excisione partim perierunt, ut etiam reliquiae seriorum accentuum et spirituum in parte membranae superiori et inferiori, ac demonstrant picturarum a codice excisionem, cum qua maxima pars textus periit, non ante seculum undecimum factam fuisse, fortasse et duodecimo. Raro haec occurrunt, nec vacat folia indicare.

50. Jam dixi, n. 6, 7, textum totum seculo fere XIII chartis bombycinis coopertum fuisse, quae ut plurimum agglutinatae fuerunt in parte superiori et inferiori chartae, raro ut apparet etiam in tertio latere, interdum autem toti membranae quanta est. Sordes membranae in lateribus, vel in tota pagina loca agglutinatae chartae indicant. Membranae contra erant agglutinatae a lateribus dextro et sinistro ab initio et in fine linearum, vel etiam a tertio latere, raro totus textus coopertus fuerat.

Chartae istae ex sua fragilitate potuerunt deteriores fieri ante detractionem a membranis (n. 7), sed in ista necessario nullae intactae manserunt, pleraeque valde pessumdatae, aliae plane perierunt, ut de aliqua definiri potest, cuius per totam paginam agglutinatae in remotione passim tenues particulae haeserunt in membrana. Sed chartis seorsum positis et cum notis non ubique certis cui folio codicis respondeant, nunc minus tute singulam quamque in definito textus loco licet reponere, nec semper textus scholiorum pro sua indole juvat.

51. Unius moduli erant chartae, ut caperent cum aliquo margine etiam folia integra textus, et librorum nostrorum habitum referrent, non codicis latioris quam altioris, exceptis solum agglutinatis foliis codicis X et XI. Haec ita consuta fuerant in parte inferiori XI cum superiori X, ut prima linea X a parte textus superstaret septo inferiori picturae XI, ut plane demonstrant vel puncta suturae, cujus etiam fila manent, convenientia in utroque folio, et pars utriusque coloris septi inferioris XI in prima linea f. X. Picturae utriusque ex una parte erant, foliine recti, an versi non liquet, textus ex altera; non vero unius folii erant, sive ambae in eadem pagina, sive in antica et postica, cultro separatae, sed longe distabant, ut textus earum II, 117-125 et 310-323 satis ostendit, ex quo imo conjiciendum ratione frequentiae picturarum harum unam saltem interjectam periisse, et demonstrat membrana fol. X, quae est infima pars folii ex margine inferiori adhuc extante; textus autem picturae XI in alio folio esse oportebat. Connexa autem hoc modo folia in interiori parte antica picturam X, in exteriori picturam XI offerebant, in postica utriusque picturae chartas in parte externa scriptas. In his duobus foliis consutis charta folii X alia erat ab ea folii XI, et plane aptatur forma uni fol. X, alia erat charta fol. XI, quam picturae respondentem frustra quaesivi.

Utrum in aliis foliis idem acciderit, ex conditione chartarum quae supersunt non videtur; sed nec operae pretium hoc curiose indagare.

52. Membranis oblongis codicis in altum versis ab initio linearum, a dextera ad sinistram ex transverso

procedit scriptura in parte chartae antica non agglutinata, in postica, super qua agglutinatae erant picturae a parte textus, sine scriptura sunt, cum membranae adhaereant; frequenter tamen in parte, quae a membrana breviori exibat in dexterum latus et scripturam excipere poterat, scholia extant, ab alto membranae ad imum exarata ut caetera; et prope ipsam picturam eadem picturae directione, ut primae lineae textus et fronti picturae superposita sit, non raro rubrica etiam tituli picturae apponuntur, ex transverso scholiorum; qui interdum saltem sunt ipsi tituli, quos manus serior inscripserat septo picturae superiori, vel etiam inferiori, de quibus infra cum de picturis dicam.

Interdum tituli extant hac ratione super fronte picturae agglutinatae in columella sine scholiis. Hanc positionem scripturae scholiorum et titulorum in columella ostendunt aperte fol. 9 et 5.

Folium 9 detruncatum est superius, ut indicat margo inferior in pictura, quae est in recto, cum in verso sint ultimi sex versus libri primi vacuo relicto spatio inferiori. Ex detruncatione membrana deminuta est superius, et charta moduli foliorum integrorum exterius exibat membranae agglutinata in transversum; quae nunc quidem ab initio recisa est, sed textus scholiorum cum ea recisus latitudinem moduli indicat. Ubi charta membranae adhaerebat cum prima linea textus et fronte picturae, servat vestigium lineolae non plane rectae, sed levissime undulatae adamussim incidentis in secturam membranae: lineola ista ex adhaesione membranae est, et nitidiori colore chartae positae super membrana distinguitur a parte chartae quae non adhaerebat. Denique sub hac lineola in charta adhaerenti capite verso supersunt rescriptae aliquot literae primae lineae textus in alto detruncatae ut in membrana in hujus sectura.

In folio 5 picturae medii moduli in transversum ut fit charta agglutinata exterius mediam fere hujus partem posticam scripturae recipiendae locum dabat, atque in ea sunt scholia exarata ex transverso; ante ista prope picturam titulus ejus ascriptus est rubrica in fronte ejus ordine inverso scholiorum, proxime sub titulo aliquot fragmina septi superioris picturae chartae adhaerent plane incidentia in detracta loca membranae superstitis.

Similia de aliis chartis plenius servatis occurrunt.

In multis chartis supersunt rescriptae modo aliquot literae, modo multae, ubi toti membranae glutinata fuerat charta, quae locum earum definiendo inservire possunt.

53. Chartae istae quantum supersunt sunt unius scriptoris praeter tres, quae licet coaevae a caeteris scriptura differunt. Duae initio videntur ponendae ante alias, tertia ex titulo rubro picturae fol. 8 erat agglutinata. Ex modulo ipso scriptae apparent pro codice picto ut caeterae aliae. Seculo XII exaratae videntur, et ex relatione, quae illis intercedit cum membranis detruncatis, post harum excisionem pro istis fuisse scriptas dicendum est.

54. Continent istae chartae historias rhapsodiarum, argumenta librorum et scholia, omnia passim mutilata et vastata necessario in illarum detractione a membranis, ut textus Iliadis in lucem educeretur, qui tempore Angeli Mai erat antiquior ejus testis, nec post tot repertos papyros etiam longe vetustiores pretio decidit, cum in suis fragmentis fere omnium librorum textus suae aetatis continuati indolem repraesentet, in nullo autem singulorum papyrorum hucusque textus saltem per fragmenta omnium librorum occurrat, quantum novi. Ut recte indicat Mai, p. xxxiv, quae in chartis scripta, tantum non omnia edita jam erant suo tempore, nec dubito quin caetera reperiantur in editis post eum Homericis scholiis vel aliis libris. Loca Andromachae et Rhesi Euripidis in chartis folii 23, picturae XXVI, et folii 31 picturae XXXV, quae ejusdem scripturae sunt ac caeterae chartae, praeter tres dictas n. 53, contulit cum editione Beckii Angelus Mai, l. c.

De textu Homeri picti et posterioribus accessionibus satis.

55. Sed singularis omnino pretii in codice sunt picturae quinquaginta et octo textui insertae, que magnum studio archaelogiae subsidium praestant. At si cum tractationi textus accessi, tantum non hospes eram in Homero, in antiqua pictura plane sum peregrinus, et praeter ulla communia, contentus externa tabularum descriptione, caetera doctis in huiusmodi sum coactus relinquere; nec enim ea sum aetate, ut novis studiis incumbam.

56. Quantam operam posuerint graeci artifices in rebus ab Homero scriptis effingendis ac pingendis attigit Angelus Mai Prooemii sui initio ex veterum testimoniis; atque ex ipsorum artificum operibus quae suo tempore extabant, ex libris qui de iis scripti jam fuerant, et ex antiquis auctoribus accuratum tractatum conscripsit de picturis codicis Ambrosiani, pag. I et seqq. In hoc ea praesertim disseruit quae demonstrarent has picturas *antiquitatis faciem verumque morem* prae se ferre (p. XIV-XXXII). Plura antiquitatis monumenta post Mai in lucem protracta fuerunt et protrahuntur quotidie, quibus confirmantur ejus dicta et juvabuntur docti, qui velint picturas Ambrosianas novis studiis illustrare: ego pauca delibabo.

57. Et primo, non ipse pictor, aut pictores si non unus fuit, finxit, sed secutus est typos deorum et heroum qui in monumentis saltem saepe occurrunt; quod tractatus Mai evidenter demonstrat, et confirmant quae post eum inventa sunt opera antiqua. Hoc indicat etiam ipsa effigierum similitudo generalis in codice, licet saepe occurrant, ut tabulas inspiciens quivis potest videre. Ut ulla afferam, Achilles non raro pictus, lib. I, XI, XVI, XXII et XXIII, semel armis est indutus tabula LIV, in caeteris etiam cum libat, tab. XLVII, in qua magis decore pingitur, eundem typum exhibet, ipsum quem offert pictura Pompejana in opere *Le Case ed i Monumenti di Pompei,* Tom. I, *Casa del poeta tragico,* tav. V: ista autem tabula plane convenit cum pictura codicis VI in Achille et Briseide, variatis solum

secundi ordinis personis, in quibus tamen Pompejana arbitrio, ut apparet, pictoris minorem redolet antiquitatem, quam in Achille et Briseide eandem ac codex tuetur. Paris tab. XXV omnino refert statuam Mus. Pii Clementini, tom. II, tab. 37, ut indicat etiam Mai pag. XXIII; est in codice serioris paullo aetatis ex diverso quo repraesentatur tempore, sed typus plane idem, qui etiam in aliis monumentis obvius est. Et Ulyxes, tam frequens in codice cum tradito ab antiquitate pileo nautico, numquam non idem est, perbelle autem ut *πολύμητις* in praeliis numquam fere est in prima acie.

58. Sed cum picturis codicis conferendae sunt praesertim duae tabulae Iliacae, quas post alios edidit Engelmann, *Bilder-Atlas zum Homer,* Ilias n. 3 et 4. Mutilae quidem et istae sunt, praesertim altera, sed satis superest commune omnibus. In eis sane non plena est rerum repraesentatio, ut earum conditio postulabat, sed depresso ectypo actores praecipui cujusque picturae exhibentur, ita tamen ut de archetypo tabularum et picturarum judicium ferri possit; et quod optime factum, picturas plerasque primi libri Iliadis ectypa prioris tabulae referunt. Haec templum Apollinis, Chrysen, Apollinem Achivos jaculantem, et jaculatos offert ut prima pars picturae I: continuat cum consessu ducum ac sequente altercatione Achillis cum Agamemnone, et prioris discessu ex interveniente Pallade, quae in I, II et III picturam codex distribuit: sequitur redditio Chryseidis ad patrem cum hecatombe, quam refert pictura VIII: et concluditur supplicatione Thetidis ad Jovem pro honore filii Achillis, quam exhibet pictura IX in dextera parte. Praecipua picturarum refert tabula, at rerum repraesentatio valde convenit inter utrasque, licet pro diversa earum ratione et ingenito artificibus arbitrio omnino eadem esse non poterat; in personis vero picturae vivide referunt typum in codice constantem, et antiquitatem magis redolentem. Quod in tabula non omnes picturae, sed praecipuae tantum occurrant, ex conditione est operis, in usum puerorum ut videtur parati, quod etiam posthomerica simul exhibebat usque ad Aeneae discessum a Troja, navigantis ad Hesperiam, Romanae stirpis originis, Reliqua pars tabulae Iliadis, lib. XIII ad XXIV, parcior est, et raro concurrit cum picturis Ambrosianis, quarum pro libris istis solum 17 supersunt sparsim: eadem, magis vel minus similiter repraesentata, sunt quae occurrunt in picturis XLII, XLVIII, LIV, LV. Altera tabula Iliaca solum habet initia librorum 1-9 et partem scuti Achillis, ut videtur: in primo libro ectypo simili illi superioris tabulae praemittit partim deperditum illud Chrysae pretium redemptionis filiae afferentis Agamemnoni: in secundo ectypo libri primi, in primo et secundo libri quarti, in iis libri quinti, quantum differentia operis permittebat, similia habet picturis I, XV, XVI, XVII, XVIII: magis conveniunt ectypa l. VI, colloquium Hectoris cum Andromacha, et supplicatio matronarum Troadum cum picturis XXV et XXVI, in quibus ordinem Homeri tuetur codex,

veritatem Homericam melius pictura XXV, minus XXVI: in caeteris eadem non occurrunt. Tabulae istae Iliacae convenientes in charactere ectyporum, differunt aliquando, ut apparet, in rebus repraesentatis; sed quis in hujusmodi operibus plenam concordiam requiret? Nonne etiam Odysseam secunda tabula incluserat, ut ex titulo constat, cum prior ex indice subjecto operum, ex quibus argumenta desumpta sunt, atque ex ipsis ectypis ad illam videtur non respexisse? Ambae tamen tabulae, quantum cum picturis Ambrosianis conferri possunt, satis conveniunt in serie argumentorum, et pro diversa natura operis etiam in eorum repraesentatione, ita ut a communi archetypo dici possint procedere omnes.

Vix opus est ut moneam Virgilium Aeneid. I, 455 seqq. prae oculis habuisse similem seriem picturarum ac tabulas Iliacas, cum et res posthomericas indicet: sed in homericis aliquot picturas Ambrosianas refert, ut v. 470-2 varia praelia in eis depicta, quae magna pars sunt picturarum codicis, v. 473-477, picturam XXXV, v. 483-486 dexteram tabulae XXV partem, et v. 492 « Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis » indicat picturas in quibus Aeneas praelians inducitur, in Ambrosiano mutilo pictura XIV, XVIII, pluries in tabulis Iliacis.

59. Ad archetypum autem picturarum codicis, tabularum Iliacarum et vividae Virgilianae descriptionis nonnullarum quodammodo adducit tabula Iliaca prima in duobus versibus inferius insertis..... ώρηον μάθε τάξιν όμήρου. ὄφρα δαεὶς πάσης μέτρον ἔχῃς σοφίας. Engelmann, p. 1, supplet ὦ φίλε παῖ, θεοδώρηον. Supplementum enim θεοδώρηον, quod bene congruit ex loco Plinii mox afferendo, ad nomen Theodori ducit, saec. IV-III ante Christum, de quo Plinius, Hist. Nat. Lib. XXXV, c. XL, 19 scribit: *Theodorus (pinxit)... bellumque Iliacum pluribus tabulis: quod est Romae in Philippi porticibus*. Tabula autem Iliaca prima apud Bovillas reperta fuit, ut refert Fabretti R., *De Columna Traiani*, etc. 383-4, et codex Ambrosianus ex ullis indiciis, quae jam attigi partim, n. 27-31, et alia infra afferam, Romae vel in inferiori Italia scriptus et pictus videtur. Vix tamen putarem tot fuisse tabulas Theodori, quot picturas Ambrosianas, in codice integro fere CCXL, esse n. 18 conjeci, aut etiam quot ectypa tabularum Iliacarum. In opere longe minori, ut codex et Tabulae Iliacae, multae inseri poterant picturae, quae repraesentationes Theodori augerent et complerent, ut fit in similibus operibus, sive pedetentim a codicum pictoribus vel ab ectyporum artificibus suo arbitrio ex poesi Homerica, sive ab aliis tabulis Homericis, quae ex Vitruvio, Plinio et aliis, et ex picturis Pompejanis, plurimae prostabant. Locos Scriptorum facile reperient et plures addent qui de hac re plene tractabunt.

60. Ex tabula Iliaca prima conjici potest numerus picturarum integri codicis Homeri. In primo libro supersunt decem, nec alias adfuisse probabiliter demonstravi n. 13 seqq., in tabula Iliaca sex fere earum referuntur; minor videtur proportio ac primi libri est in tabula a libro XIII ad XXIV, quantum ex conditione

codicis in iis libris conjici potest, ut indicavi n. 58. Altera tabula Iliaca eandem servat proportionem, ut apparet ex iis quae disserui eodem numero 58. Ex his probabiliter confirmatur quod dicebam n. 18 picturas codicis circiter 240 fuisse.

61. Jam venio ad picturarum descriptionem.

Picturae codicis eandem latitudinem servant paginae, vix alicubi paullum imminuunt, in altitudine variant, interdum una implet totam paginam, interdum duae se excipiunt in eadem pagina nullo inter eas septo posito, caeterae variant, minima est IV. Pro altitudine autem picturae etiam proceritas personarum differt. Nullum vacuum interstitium inter textum et picturam usquam vidi relictum, ut in Virgilio Vaticano interdum fit; quod apparet ex recensione libri primi n. 13, 14, ex folio 26, et aliis paucis, in quibus sub pictura unus alterve versus superest, XXV, XXVI, XLVIII, LV, LVI, de qua cf. infra in notis f. 50, vel indicia sequentis lineae sunt ex aliquo ejus residuo, vel ex accentibus serius illi superscriptis.

62. De picturarum artificio haec luculenter scripsit Mai p. XIV, et melius est ut ejus verba afferam eaque ex altera editione, p. 2, in qua una alterave vox prioris correcta vel nota addita.

« Homericae picturae, quarum potissimum causa « haec editio suscepta est, hoc habent maxime pro« prium, ut non tam artis ac penicilli elegantiam quam « antiquitatis faciem verumque morem prae se ferant. « Sane ego si has tabellas subtiliter dicerem minio « tinctas, si corpora venuste deformata, si conflictus « rerum accurate servatos, si cetera ejusmodi ad artis « absolutionem exacta, utique id vana praedicatione « affirmarem. Neque enim, cum hic codex iliadis co« lorabatur, ea iam tempora fuisse videntur, quae in« columem picturae potentiam consummationemque te« nerent: quamquam arti labenti adhuc dignitas erat. « Pingendi autem codicis rationem ejusmodi fere fuisse « cognovimus: ductis pallidiore atramento lineis graphis « describebatur: his penicillo adlinebantur colores, mi« nium videlicet, cerussa, rubrica, armenium, purpu« rissum, appianum, tincturae hyacinthinae, violaceae, « hyalinae, croceae, furvae: hi enim fere colores sunt « inducti membranis (Confer Pollucem, *Onomast.* VII. « 28): minii vero ubique ad splendorem abusio est, « eoque maxime claritates imaginum excitantur. Fi« gurae in proeliis dextra quidem tabularum parte « saepenumero pinguntur rectae, sinistra autem aversae. « Sunt etiam obliquae, quae dicuntur catagrapha. Ali« cubi lineamenta visum effugiunt, vel quia colores « exciderunt, vel quia situ computruerunt, vel quia « pictor interdum figuras initiare tantummodo ausus « est: quare etiam parerga rarius consummavit, ita ut « vix artificis cogitationes spectentur. Illud quoque ac« cedit incommodum, quod aperta indicia interpola« tionum aliquando se produnt, armorum membrorum « et vestium iteratis permutatisve bis terque coloribus. « Ad commendationem artificii quod adtinet, est umbra, « est lumen, sunt aliquae commissurae colorum et trans-

« itus; est quaedam etiam symmetria et mensura, « quod rarum in successu artis antiquae invenitur, et « in ambrosianis etiam picturis (fatendum est enim) « persaepe desideratur. Deprehenditur auctor in Diis « principibusque viris grandior; in universitate cada- « verum, beluarum, et aedificiorum exilior: denique « in extantibus et in confractis minima ejusdem laus « est. Iam tabulae quae proeliorum pictam faciem « habent, omnem quidem imaginum varietatem absum- « pserunt; verum eaedem assiduitate et numero prope « satiant atque in coloribus duriores sunt. Quid quod « interdum homericae narrationi haud pressim pictor « adhaeret? (Arati quoque poëma a pictoribus arbitrariis « fuisse corruptum narrat Hipparchus in Arati vita). « Quid quod sibi ipsi aliquando non constat? picto enim, « exempli causa, heroë barbato, mox in alia tabella « eumdem imberbem facit: quo inconstantiae genere « vestimenta quoque et colores nonnumquam laborant».

Vividam et veracem hanc Angeli Mai descriptionem picti codicis facile judicabunt periti judices ex ipsis autotypiis, nisi quod hae coloribus carent. Pallidioris atramenti ductus graphidem describentes, a quibus artifex in pingendo discessit, videre licet in pictura XI.

63. Cum tamen autotypiae saltem partim colores aliquot subindicent vigore diverso quo eos referunt, quippe quae paratae fuerunt ex tabulis vitreis *isochromaticis*, interposito diaphragmate in conficiendo photographiam; ut saltem confuse acutiores oculi de coloribus conjectare possint, indicabo eorum praecipuos, praesertim ex pictura X, in qua satis bene servati. X, loca plane alba a capite Vulcani et infra referunt avulsam membranam, cetera vix non nitida aut evanidos colores, aut membranam levissime tinctam. Externae lineae septorum picturarum, et V duo scuta minio pinguntur. Cinnabaris refert ignes XXX. Cerussa X est in veste inferiori Musae a parte dextra prope Apollinem. Armenium (*azzurro*) est in lineis internis septorum, et X in superficie mensarum. Coloris viridis X interius mensarum est inter columellas. Rubricam fere referunt X facies et nudae carnes Jovis, Martis et Vulcani. Tinctura violacea est in amictu Jovis X et XXIII. Tincturae croceae X cingunt superficiem mensarum, iisdemque pinguntur calcei Jovis XXIII, ibique, et XXXI ac XXXIII suppedanea deorum et ducum. Pallidiori atramento sunt ductae lineae graphidum; eas pictor deseruit XI, et alibi.

Verum nullus dubito, quin brevi humana sagacitas eo perveniat, ut ab una photographia picturae uno actu referantur identicae in coloribus perfecte sese conjungentibus et commiscentibus eadem ac in archetypo conditione. Tunc ipsa Bibliotheca tertio curabit novo inventu edere pretiosissimum codicem; quod utinam cito fiat.

Ceterum interpretationem picturarum codicis infuscati, deturpati et evanescentis bene juvant earum editiones ab Angelo Mai curatae, de quibus dixi n. 7. In omnibus Bibliothecis majoribus reperiuntur; et primae adhuc exemplaria venalia sat multa prostant in

Bibliotheca Ambrosiana, et apud bibliopolam hujus autotypiae editorem Ulricum Hoepli.

64. Omnes picturae, ut jam indicavi, concluduntur septo rectangulo duplicis lineae crassioris, quarum interior coloris armenii est, exterior minii. Solum in IV et XXXIII, in quibus picturae membranam latius praeoccuparant, una linea rubra a dextra et sinistra apponi poterat, ex quo et superior et inferior caerulea omissa fuit. Ista in septis diversitas indicaret ea finitis picturis accessisse.

65. Longe serius pedetentim titulos et declarationes picturarum picturis adscripserunt et inscripserunt; nec quidem satis recte, ut ex eorum conditione apparet. Primi tituli rudi scriptura sunt inscripti, ut plurimum, septo superiori, eique partim etiam interdum superscripti, raro in septo inferiori et sub eo. Ante excisionem extitisse demonstrat eorum quoque identidem detruncatio sive in litteris sive in accentibus atque spiritibus supra et infra septa. Quae horum titulorum pictae membranae superscripta, plura evanuérunt tum ex generali codicis detrimento, tum quod minus haererent membranae ex pictura supposita; quae autem extant ex colore picturae, ubi superstant, minus facile leguntur in ipso codice, difficilius ac saepe omnino non in autotypia ex coloribus septi, quibuscum scriptura coalescit. Interdum repetuntur hi tituli iidem aut parum variati in illis inconstanter posterius additis in corpore picturarum ipsius folii vel sequentis, aut etiam, quantum apparet, in chartis appositis ea ratione quam indicavi n. 52. Scriptura num semper ejusdem scriptoris sit non inquisivi curiose, nec erat operae pretium: saeculi XI circiter videtur. Cum ex horum titulorum dicta conditione in autotypia perpauca legi possint, ullos eorum indico magis apertos, ut etiam de scriptura alii judicium ferre possint. In pictura XXXIII titulus est infra septum inferius, quem loco non suo alia manus repetit in corpore picturae XXXIV, in picturis XXXVII, XXXIX, XL est in septo superiori. Inter picturas raro similis scriptura apparet.

66. Longe plura obtruserunt in corpore picturarum novi codicis vexatores saec. fere XII, ascribentes declarationes et titulos earum, nomina deorum et heroum, et horum nomina interdum scutis inscribentes. Constantiam tamen in his frustra quaesiveris. Quae picturis inscripta sunt nomina ex colore difficilius apparent in autotypia, nullo sane incommodo: reliqua ut recentiora et vividioris coloris melius ceteris nitent in autotypia, nec vacat describere quid. Non unum esse scriptorem ipsa varietas indicat: atramento exarata pleraque pars, sed et cinnabari non pauca. Discedunt interdum ista a veritate Homerica.

Quantum memini, isti tituli ac additiones sunt diversarum manuum ab illis quae chartas agglutinatas exaraverunt, de quibus dixi n. 53: licet si istas aetate praecedunt, vix antiquiora sint etiam quae prius accesserunt. Sed cum inter picturas omnia sint, non potest externo argumento definiri utrum ante, an post excisionem picturarum a textu Homerico scripta fuerint.

67. Salebrosa jam instat quaestio de patria codicis, de qua nullum testimonium externum in codice. Jam cum plus quam triginta abhinc annis notas conscribebam, quae usui essent editoribus Societatis Palaeographicae Londinensis in describendo codice ante aliquot tabulas inde desumptas, meam proferebam opinionem, scriptorem non fuisse Graecum hominem, sed peregrinum, quod quidem docti illi viri non improbarunt in prooemio prioris tabulae (39 in ed. Societatis), nec in Introductione generali anno 1878 pag. III. Opinabar etiam in primo loco codicem fuisse scriptum a Latino homine in Italia meridionali. Quae momenta tunc me impellebant, ut ita opinarer, non sunt imminuta, verum aucta post curiosiora studia et in textu et in picturis codicis, et praesertim post amplissima subsidia palaeographica ex papyris postea detectis, quorum tabulae autotypicae ingentem numerum repraesentant, et ex codicum Graecorum et Latinorum veterum phototypicis editionibus aut saltem tabulis.

Quae picturas attinent vix tecte attigi, et infra disseram, quae textum omnia fere tractavi supra a numero 26 ad 48, in quibus scripsi: scriptorem minus certum esse et constantem in forma litterarum Graecarum, quae non extant in lingua Latina, vel si extabant formam habebant differentem a Graeca; eundem procerioribus litteris uti, quam in Graecis libris similibus fiat, sed est commune in Latinis Inscriptionibus et antiquissimis codicibus; eum demum contra morem Graecum ductus rotundos crassiores oblique ad lineam perpendicularem formare, ut in Latinis papyris et vetustissimis libris.

Nescio autem, an tam frequenter errasset in apponendo vel omittendo *I adscripto* homo Graecus, ut fit in *CA*; quod facile accidere poterat scriptori Latino, non quidem Graecam linguam ignoranti, ut ostendit generalis codicis orthographia, sed ejusdem nativam proprietatem non sentienti. Et hoc fortasse indicat etiam scriptorem non codicem ipsum legisse, in quo recta vidisset, sed a dictante excepisse. Sed judicium de his posceret collationem plenam cum eodem textu papyrorum aequalis aetatis.

Indicia ex picturis desumenda picturae et archeologiae peritum desiderant; ego aliquid proferam, quod et peregrino in illis occurrit. Pictura VI, ut indicavi n. 57, in praecipua re plane convenit cum pictura Pompejana. Pictura LII offert fluvium Scamandrum in planitie arboribus et herbis virenti eodem omnino opere quod dicimus *paesaggio, paysage, landscape:* in ea vegetamen plane simile visitur ac in Italia inferiori, idem non reperiri in Graecia neque in Aegypto cognitores locorum me docuerunt. Aedificia quoque, quae pict. XXIV-XXVI occurrunt, cum Pompejanis et Romanis vetustis conferri possunt. Demum tabula Iliaca Bovillis reperta et pro ratione operis cum codice *CA* conveniens, de eadem utriusque patria indicium praeberet. Confer et infra n. 70.

Ex his omnibus quae de scriptura et picturis dixi videtur probabiliter concludi posse ad originem codicis Romae aut in Italia inferiori.

68. Difficilior videtur quaestio de aetate, et intra saeculum IV et VI solent inter se dissidentes codicem collocare docti viri: primus quantum scio, has opinationes in dubium vocavit F. G. Kenyon in libro saepe adducto, *The Palaeography of Greek Papyri*, p. 121. Is postquam de aetate antiquiorum codicum Bibliorum dixerat, saec. nempe IV et V, de codice Homerico Ambrosiano prosequitur: Idem dici nequit de pulcherrimo codice Homeri picturis instructo, Mediolani nunc servato. Manus hujus speciem offert singulariter antiquam; et licet temerarium esset definitum proferre judicium uno subsidio paucarum tabularum (editarum in *The Pal. Society,* 39, 40, 50, 51), operae pretium est dubium proponere, num iste codex non possit esse notabiliter antiquior saeculo V, cui nunc tribuitur.

Jam multis abhinc annis ex ullis opinabar codicem non esse posteriorem primis annis saeculi V, et probabiliorem ejus aetatem judicabam saeculum IV. Cum postea legissem librum Kenyon pag. 101-3, in quibus de Papyro Homeri Oxoniensi loquitur, tabula etiam praemissa, atque *Papyri Oxyrhynchus* tabulam jam inspexissem in *Grenfell and Hunt, Oxyrhynchus Papyri,* I, tab. V, statim perspexi dubium prudenter propositum a Kenyon resolvi collatione codicis *CA* cum illis Papyris, qui uni ex tot in lucem protractis plane conveniunt cum codice. Rem totam disserui nn. 23-32; et puto demonstrasse plenam convenientiam in scripturae accidentibus papyrorum *PA* et *PB* cum *CA* contra caeteros quos indicavi papyros et codices vetustiores. Puto etiam ostendisse, litteras, quae Latino alphabeto desunt vel aliam formam habent etiam in papyris Herculanensibus et vetustissimis codicibus, eas codicem *CA* conformasse ad typum papyrorum *PA* et *PB* contra alios Graecos papyros et vetustiores Graecos unciales. Quod vero in eodem quidem typo litterarum ductus calami Latinus appareret, id Latino scriptori tribuebam. Sed quod haec enarratio imperfecte declararet, vivide apparere dixi conferenti tabulas papyrorum *PA*, *PB* et codicis *CA* cum illis aliorum papyrorum et vetustiorum codicum tum Graecorum tum Latinorum.

Scio esse qui ex convenientia scripturae in papyris et codicibus membranaceis non eandem probari aetatem opinantur; sed ex collatione multiplici utrorumque mihi omnino videtur posse ex papyris judicium ferri de aetate codicum membranaceorum.

Forsan quis objiceret scriptorem Latinum potuisse imitari papyrum Graecum vetustiorem. Potuisset sane; sed nescio, an potuisset accidentia omnia scripturae papyri constanter retinere etiam in iis quae Graeco et Latino alphabeto communia eodem tempore, in Latina scriptura temporis posterioris jam mutata erant, quin aliquatenus a *PA* et *PB* et a Latinis papyris Herculanensibus et vetustissimis codicibus deflecteret in accidentia scripturae Latinae suae aetatis, aut quid deficeret a severa illa vetusta simplicitate, quae evidens est in *CA*, *PA*, *PB* et in papyris Latinis Herculanensibus, atque redolet illam Inscriptionum Lati-

narum trium priorum saeculorum. Ideo donec contrarium demonstretur, aequum est ex hac congruentia *CA* cum *PA* et *PB* eidem aetati eos tribuere. Papyri autem *PA* et *PB* saec. II judicantur ex indiciis probantibus a Kenyon et a Grenfell et Hunt, qui omnes papyrorum cognitione clarent: eorum de illis judicia conferantur ll. cc. Equidem scio, nisi indicia externa comprobent, ex palaeographicis argumentis solum non posse definiri tuto de paucis decadibus annorum in codicibus vetustissimis Graecis et Latinis; et ego caute retraherem *CA* ad tertium saeculum, cui nec picturae refragarentur, ut mox indicabo. Sane si quis ponat *PA*, *PB* et *CA* e regione codicum Graecorum saec. IV et V statim perspiciet, opinor, speciem illorum scripturae simpliciorem esse et magis archaicam quam quae apparet in istis originis tum Aegyptiacae, tum aliarum regionum etiam occidentalium.

69. Sed nec picturae tertio saeculo refragantur. Quod antiquitatis morem continuent longe saeculo III vetustiorem, non est per se computandum in definienda aetate codicis: quod eum tamen adeo sincere tueantur, ut ex Angelo Mai retuli n. 56, seq., probabile antiquitatis argumentum praestat: et hoc eo confirmatur quod posteriorum saeculorum usus non redolet. Nec ipsum picturae artificium refragatur, ut a perito viro accepi.

70. Cum enim ipse de picturis judicium ferre non posse plane conscius sim, interrogavi eximium pictorem Aloysium Cavenaghi, qui non solum medii aevi et nostri operam pictoriam probe novit, sed etiam antiquam, ac recens erat ab itinere Romano, Neapolitano ac Pompejano, quo jam antea non semel peragraverat. Is libenter picturas omnes inspexit, et haec me docuit. Unus tabulas omnes pinxit ex artificio operis semper eodem in singulis, quin tamen eadem ubique diligentia operatus sit praesertim in minoribus rebus, quas nec semper consummavit. Unum pictorem fuisse indicant etiam colores, qui iidem in omnibus tabulis; tabula enim una et altera, ut LV, colorem pallidiorem induit ex diuturna luci expositione pro visitantibus Bibliothecam. Picturae non offerunt quidem artem praeclarae aetatis, eam tamen proxime sequuntur, et characterem picturarum Romanarum et Pompejanarum referunt, eosdemque mores; loca autem arboribus herbisque virentia repraesentant regionem mediae et inferioris Italiae, puta, Neapolitanam. Aetas ex conditione picturae est intra an. 200 et 300.

71. De editionis demum ipsius heliotypicae ratione addam pauca, et notas in singulas tabulas.

Tabulae heliotypicae mensuras membranarum tuentur adamussim, vix quid minimum differunt, quod in processu operae heliotypicae et ex chartae accidentibus fieri potuit, non semper tamen. Omnes tabulae paratae fuerunt artificio quod indicavi n. 63. Additi fuerunt numeri foliorum, et picturarum; qui in ipsis picturis inscribuntur, serius codici accesserunt, fortasse tempore Angeli Mai, qui iisdem utitur in tabulis numerandis suarum editionum. Numero foliorum addidi *recto* et *verso*,

prout raptim judicare licuit dum ipsum opus perficiebatur; si quid ex indiciis demum detectis erratum deprehendi, ex notis corrigitur; quamquam res nihili est in codice dissipato. In primo libro ex ejus conditione potuit ordo paginarum restitui, cf. n. 14, in caeteris, vix primum altero folio subsequente, externo indicio potest ordo definiri.

Tabulae quin folii *recti* et *versi* ratio habeatur, disponuntur e regione; ut a dextera sit textus cujusque, et a sinistra pictura, quod fortasse usus commodioris erit. Fol. 26 utrinque scriptum et pictum suum ordinem tuetur.

72. Notis generales animadversiones praemitto, ne saepe eadem inculcem.

Quae in tabulis alicubi plane colorem chartae referunt sine ulla tinctura in textu et in picturis, membranam ibi periisse indicant.

Membrana in extremitatibus, et in laceratis membranis interius, interdum minimas plicaturas habet, ut f. 1. r. I, 9, exesis primis litteris cum membrana, superius ante literam *Y* est particula membranae a f. v. reflexa, quin eam litteram offendat nec superiorem, quae cum membrana periit. In membranis ex loco extremo male habitis et infuscatis istae plicaturae solent esse, et ideo in autotypia minus quam in codice saepe apparent; fol. 1 allato satis apparet plicatura. Nulli bono eas indicarem in locis, in quibus scripturam non laedunt: id ubi fuerit, indicabo, saltem ubi litterae plene sunt tectae. Ex conditione membranarum in extremis partibus sine periculo non potuissent, saltem ut plurimum, plicaturae explicari et vitro premi in opere photographico.

Jam indicavi n. 51 picturas XI et XII (f. X, XI) consutas fuisse post exsectionem ea ratione quam declaravi. Hoc factum est etiam in ullis aliis picturis minoris altitudinis, quae conjunctae non excederent formam libri post excisionem compacti, eandem ac codicis integri, sed transversa ejus et chartarum glutinatarum positione. In textu superposito picturae in conjunctione maculae rubrae et caeruleae ex minio et armenio septi picturarum apparent; ita in f. 2 cum f. 1 compacto, et in ullis aliis. F. 27 pict. XXX habet istiusmodi maculas, sed nulla est ibi pictura in codice cui conjungatur; aliane ex causa maculae sint, an post conjunctionem unum folium perierit, nescio. Ex coloribus in membranis haec septorum indicia magis apparent quam in heliotypia.

Septorum et picturarum colores interdum pellucent aliquantulum in pagina textus, et vicissim hujus scriptura in pagina picta: satis haec pellucida refert heliotypia, quae vividiora ex coloribus sunt in membranis. Cf. fol. 15, 16, 33, 42.

Charta agglutinata passim haesit membranis, raro in particulis integris, saepe in tenuibus quae nubilant scripturam quin plane operiant: haec in heliotypia albido colore repraesentantur: ut f. 3, 4, 5, et passim.

In multis locis charta agglutinata cum detrahebatur absumpsit atramentum, rarissime totum omnino,

saepe reliquit vestigia in membrana. Heliotypia haec vestigia refert; sed ubi plene atramentum absumptum est, in membrana ex erosione atramenti tenuissima adhuc litteras deprehendere licet, sed plane albescentes ductus heliotypia vix, ac ne vix quidem referre potuit; at hoc rarissime accidit pro ullis litteris, et si res postulaverit, indicabo. Cf. fol. 6, 15, 44.

Albicantes ductus litterarum reliquit interdum atramentum evanidum, in fusca membrana circumstanti apparentes; eos eodem colore fere refert heliotypia, ut fol. 31.

Membranae laceratae resarciuntur filis lineis, quae evidentia sunt in heliotypia. Cf. f. 20, 21, 23.

Caeterum assumpto textu edito cum variis lectionibus etiam in heliotypia quidquid codex adhuc habet, qualicumque ratione, dignosci potest ex illius etiam debilioribus vestigiis, et ex spatio singularum litterarum deficientium, attenta summa formae istarum constantia.

Codex rasuras et retractationes passus est in ipso textu. Quae ex ipsa heliotypia plane aperta non attingam; caetera, quae primam scripturam respiciunt indicabo: seriores lectiones et additiones reticeo, nisi aliqua ex causa iuverit indicare. Quae picturis acciderunt retractationes satis ex heliotypia patent.

In aliquot foliis tinctura adhibita ut excitaretur evanida scriptura, ut f. 8, 11, 18.

Pleraque quae his notis generalibus disserui, infra reticebo, cum istae satis dirigendo lectori sufficiant; identidem ulla, si e re videbitur, attingam.

73. F. 1. I, 11. *ΗΤΙΜΑΣΕΝ*, *Α* erasum fuit, et *Η* inscriptum m. seriori, et ipsum postea retractatum. Vix dubia apparent in rasura indicia litterae *Α*, sed certa est ex spatio differenti litterarum *Α* et *Η*, aliis etiam locis collatis ubi *ΜΑ*, *ΜΗ*, *ΑΣ*, *ΗΣ* occurrunt.

In pictura, quae in fronte erat codicis compacti post exsectionem est nota T. 348. Est ejusdem manus quae alias notas codicum scripsit in catalogo anni 1612. Cf. n. 5. Illa tamen quam ibi dedi ex eo, T. 352, coaeva est quidem, sed saltem non in ipso actu scriptionis catalogi apposita.

F. 2. I, 70. *ΤΑΤ'*: initio lineae plicatura operit primum *Τ*.

I, 77. *ΧΕΡΣΙΝΑΡΗΞΕΙΝ*, superius partim tecta ex plicaturis, inferius avulsa membrana, omnia sordida et fusca.

F. 1 et 2 consuta erant ita ut esset primum superius, secundum autem subtus, ut indicat filum lineum in alto picturae II, et membrana f. 1, v. 13, quae nitidior est quia f. 2 cooperta fuerat. Cf. n. 51, et 72.

F. 3. I, 178. *ΕΔΩΚΕΝ*, *Δ* jam fere deperditum membrana corrugata et charta adhaerens fere totum tegunt.

F. 4. Folium hoc conjunctum ut apparet f. 3 inferius servat in imo filum compaginis in extrema membrana complicata a parte picturae in eam textus.

F. 5. I, 320. *ΟΓΕ*, tecta ex plicatura in heliotypia: in codice inferius mutila. *ΕΥΡΥΒΑΤΗΝ*, tectum plicatura *ΕΥ*.

V. 329. *ΠΑΡΑ, ΡΑ* periit: in lacuna oblique superpositum fragmentum, in quo sunt prima manu duo *Ε* initia linearum duarum, at infra reliquiae nullae paragraphi et *ΩΣ*; ex spatio conveniunt cum initiis vv. 324-6 *ΕΙΔΕ—ΕΛΘΩΝ—ΩΣΕΙΠΩΝ*, et ibi posuit Angelus Mai, qui cum detrahebat chartas locum perspexerat.

V. 332. Initio perierunt *ΣΤΗΤ*, dein plicata membrana, sed in residuo ejus literae *ΗΝ* fere evanuerunt.

F. 6. I, 345. Plicatura in fine patens in editione partem literarum texit, quae tamen plane evanidae in ipsa membrana.

F. 8. I, 514. Post *ΚΑΤΑΝΕΥΣΟΝ* seriores maculae et ductus forte aliqui, non *Λ* unciale deformatum.

F. 9. Infra textum in medio, manu prima omnia, est *Λ* pene deperditum paullo minus litteris textus, super et sub quo lineola non ultra litteram exiens, et a lateribus diple, quae a dextera fere integra apparet, a sinistra periit. Sub eo manu seriori *ις*. De utraque nota confer supra n. 14-15.

F. 10. Pictura edita in opere *The Palaeographical Society*, I, Tab. 50.

De conjunctione folii 10 cum 11 dixi n. 51; sed nunc attentius consideratis filis, punctis ac septi lineis utriusque, posset videri utrumque folium connexum cum alio diverso nunc amisso ante ultimam compaginem, priusquam codex Bibliothecae acquireretur. Quod fortasse de ullis aliis connexionibus potuit esse, ut in sequentibus f. 12-13. Sed non puto operae pretium incerta haec omnia inquirere.

F. 11. II, 311. *ΕΣΑΝ*, super *ΑΝ* ductus duo seriores; heliotypia plene refert, quid indicent, nescio.

V. 318. *ΑιΖΗΛΟΝ*, inter *Αι* superius *Ρ* albescens m. videtur seriori: ad lineam posteriorem litterae *Δ* rudes semicirculi litterae *Β* videntur oblique applicari seriori manu diversi coloris atramento quantum in infecta membrana apparet. *ΕΘΗΚΕΝ*, erasum primum *Ε*, vel vexatum.

F. 12, 13 conjuncta apparent sicut f. 10, 11; ita ut 13 exterius, 12 interius esset in compagine post exsectionem.

F. 13. II, 832. *ΟΥΔ'ΕΟΥΣ* cum apostropho 1 m. fortasse, ex forma, loco et atramento pellucenti in membrana. Nota ad *Ε* serior, saltem ex usu codicis.

F. 15. Saepe corrugata est membrana, fortasse ex madore in detractione chartae, quae multa absumpsit scripturae, et particulas sui reliquit.

V. 4. Ex vestigiis certis singularum litterarum, quae adhuc supersunt evanida in maculata membrana, lectio est *ΔΑΙΕΟΙΕΚΚΟΡΥΘΟΣ*, et spatium quoque excludit *ΔΕ* vel etiam *Δ*.

F. 16, 17, Pict. XVIII, XIX. Duo folia ista nunc separata unum reapse simplex folium sunt in medio sectum cum jactura unius versus utrinque, ut conditio textus et picturarum demonstrat. F. r. incipit V, 407-19, absciso v. 420, subsequitur pictura notata numero XIX, quae terminat paginam, ut patet ex margine inferiori partim extante in r. et in v.: f. v. in alto pictura XVIII, sub ea exciso v. 421, prosequitur v. 422-432.

Paginae autem, pictura et textus, continent utraque spatium versuum 25, et adamussim picturae spatium respondet illi versuum paginae posticae; qui est usus perpetuus codicis. Cf. n. 11-14. Et computatis versibus abscisis 420 in f. r., 421 in f. v., sunt in f. r. 14 (407-420), pictura ex textu in verso capit v. 11; fiunt 25: in f. v. pictura capit v. 13 ex textu extante in f. r., sequuntur 12 (421-432); fiunt 25. Corrigendi ergo numeri picturis olim appicti. Quod in errorem induxit eum qui picturis apposuit XVIII et XIX, fuit ratio conjunctionis duorum foliorum, quae ex uno folio secto extiterant. Quod quidem occurrit in aliis locis, ut f. 1-2, 3-4, 10-11, et alibi; sed in istis textus et pictura cujusque folii ab alio folio sunt. Conjunctionem f. 10-11 fuse descripsi n. 51, et plane eadem est hic, nisi quod duo folia non ex duobus, sed ex uno secto in duo compacta sunt. Pictura autem cum nota XVIII, reapse XIX, praecedere videtur suum textum incipientem in v. 432 contra morem, sed factum videtur, quod numquam picturae opponuntur in parte antica et postica, sed diverso loco paginae apponuntur, ut textus et pictura solum invicem opponantur. Cf. f. 26, in quo integro in recto textus et pictura, in verso pictura et textus.

F. 16. V, 410. In margine sinistro parvum *Θ* evanidum flavescens: ex colore serioris manus est, quae aliter ac prima lineolam altius ponit.

V. 412. *ΑΔΡΗΣΤΕΙΝΗ*, utrum *Ε* exfricatum 1 m. an serius, non liquet: potuit etiam ex membrana corrugata exfricari, ut pars *Ι* sequentis: indicia evanida accentus circumflexi et acuti super *ΕΙ* serioris manus duplicis sunt.

F. 18. V. 638. *ΟΙΟΝ*, in membrana sub tinctura magis quam in heliotypia deprehenditur spiritus asper super *Ο*, et accentus circumflexus super *Ι*, veteres, sed non 1 m. ex forma.

V. 656. Vix melius in membrana tincta, scissa et corrugata apparent *ΑΜΑΡΤΗΙΔΟΥΡΑΤΑΜΑΚΡΑ*.

F. 19. Textus editus in *Pal. Soc.*, I, 51.

F. 20. V. 861. *ΑΝΕΡΕΣ*, plicatura tegeret fere totum *Α*, sed *Α* et aliae litterae vix vestigia reliquerunt in membrana, satis repraesentata in heliotypia.

F. 21. VI. 210. *ΕΦΥΡΗ*, parvum *iota* in alto adscriptum ex atramento serius est.

VI. 225. *ΕΙΜΙΣΥΔ*: in membrana lacerata et fuscata valde evanida *ΣΥΔ*, et vix ulla restant vestigia litterarum *ΕΙΜΙ*, in heliotypia etiam minora ex plicatura.

Textus et Pictura edita in *Pal. Soc.*, I, 39, 40.

F. 22. VI. 290. *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ*, prius *Α* fere totum retractatum serius.

VI, 291. *ΕΠΙΠΛΩΣ*, *Ε* totum retractatum serius, nullo indicio prioris relicto, prius *Π* magna ex parte.

VI. 297. *ΙΚΑΝΟΝ*, de spiritu aspero superscripto ut *Η* cf. supra n. 41.

Hujus folii 22 mutilati superius et inferius non facile definitur initium et finis paginae quae semper constat versibus 25 (cf. n. 11-13). Ego ita disponerem

paginam textus, qui in f. recto est, cum sub pictura sequatur versus posterior 305.

In alto excisi sunt versus	5, VI, 277-281	
Infra eos v. 282 fere totus excisus,	1. 282	
Integri v. 283-300	283-300	
Ultimus detruncatus 301	301	
		25
In pagina picturae excisi superius v. 302-4		3
Sub pictura v. 305		1
Spatium picturae ex pagina recta v. 19 .		19
Super pictura inter hanc et textum superiorem v. 302-4 interstitium fere duorum versuum		2
		25

Quae supputatio si constat, hoc folium indicaret picturam interdum fuisse etiam inter textum superiorem et inferiorem. Similem conditionem in codice alibi non vidi. Caeterum non omnino absonum, puto, est suspicari interstitium paulo majus fuisse relictum alicubi ante picturam.

Si autem tres versus 302-4 in f. r. sub 301 ponantur, necesse foret spatium vacuum admittere in fronte picturae pro excisis vv. 280, 281 et fere toto detruncato 282. Quod plane deturbaret codicis concinnitatem, quae constans deprehenditur in libro primo ex descriptione data n. 14, ex qua nulla pars paginae vacua occurrit nisi in fine libri.

F. 25. De hoc dixi n. 12 in fine, ratione reddita de defectu v. 6. In verso picturae, quae complebat paginam, ima pars solum ullos ductus servat.

F. 26. Jam indicavi n. 11 omissum fuisse v. VIII, 244: *Μηδ'οὕτω Τρώεσσιν ἔα δάμνασθαι 'Αχαιούς.* Adnotat Mai in *Animadversionibus,* p. LXI: « abest a codice ambrosiano versus, idemque exulat ab aliis aliquot codicibus, et exploditur a criticis et in codice veneto caret commentario ». Consulantur editiones criticae. Ego contuli 11 codices ambrosianos, in his septem sequuntur editiones, sed *A.* 181 *Sup.*, *E.* 35 *Sup.*, disponunt vv. 242, 244, 243; *M.* 86 *Sup.* item ordinat, sed prima manus Michaelis Apostolii seriem editionum restituit litteris appictis; *I.* 58 *Sup.* habet vv. 244, 242, 243, sed litteris communem ordinem revocat. Sunt autem I saec. XIII, II saec. XV, III Michaelis Apostolii, IV saec. XIV. Ex luxati textus tam sera memoria suspicio sitne versus authenticus exoritur, et omissio potius ab archetypo codicis ambrosiani sit repetenda quam a scriptoris indiligentia; quamquam id fieri potuit, ut sane est in f. 37, XII, 432. Qui super septo apparent spiritus et accentus et ductus superni litterarum minorum, sunt ex titulo longe seriori in ipso septo scripto.

F. 26. v. VIII, 246. *ΑΠΟΛΕΙΣΘΑΙ*, prius *I* erasum. Quod Angelus Mai refert primam scripturam esse *ΑΠΟΛΕΙΣΘΕ*, rectum est pro *I* eraso, sed *AI* omnino 1 scriptura etiam ex colore atramenti sine ullo rasurae vestigio: lapsus calami fuit aut error typothetae.

V. 253. Membrana lacerata, corrugata et sordida: voces *ΠΕΡΕΟΝΤΩΝ* paullo evidentiora in ea ex atra-

mento pellucenti, *ΩN* autem videntur paullum imminuta in fine lineae.

Folium 26 v. editum in *Pal. Soc.,* 50.

F. 27. VIII, 510. Vix ulla inferiora indicia litterarum: in plicatura post initium omnino idem est. Sunt etiam ullae maculae rubrae et caeruleae in ora superiori, quae si non a casu aliquo proveniunt, essent indicia superpositionis alterius folii a parte picturae cum post excisionem consutae fuerint, ut alibi; suturae etiam nunc ulla fila ac foramina exstant. Sed quod consutum fuisset folium convenientis moduli jam non exstaret: f. 29 nimis distat, nec conditio macularum favet, cum in eo desit septum caeruleum.

F. 28. A sinistra tinctura, quae fuscavit ulla textus, et longum scholium saec. fere X, quod etiam in membrana ex pellucenti atramento vix partim legi potest, partim etiam excisum est.

IX, 25. *TOYI* exstant partim in membrana plicata sursum versa, et apparent in pagina picta, in qua iterum pars *YΓ* denuo tecta superjacente septo. Item pars *N* vocis *MEΓIΣTON* superest in membrana plicata, et apparet in pagina picta.

Picturae editae in *Pal. Soc.,* I, 51.

F. 29' et 30 videntur consuta fuisse, et f. 30 externum erat et 29 internum super septo inferiori f. 30; id ex maculis rubris in textu f. 29, et ex foraminibus et lineis filis in utroque conjicere licet.

F. 29. In pictura deest septum caeruleum, ut indicavi n. 64.

X, 172. *BEBIHKEN* interstitium inter *H* et *K* in fuscatis membrana et heliotypia ansam praeberet suspicioni ne erasum fuerit I, quod saepe scriba vocalibus longis ascribit imperite; sed ex ipsa membrana pro spatio et dubiis omnino vestigiis videretur primo fuisse *ω*, cui accurate eraso suffectum fuerit *H*: hoc nigrius vix a prima manu differt, ut ipsa heliotypia indicat, quod ex scriptione super rasura fieri potuit, et nigrius esset, quia scriptum super rasura, nisi etiam quia serius retractatum sit ut litterae proximae. Ex his tamen dubium oriretur primaene manus an serioris sit *H*; siquidem rasura litterae *ω* reapse facta est.

F. 30. X, 204-5. In membrana plicata initio linearum superest evanidum *Ω* fere totum, et reliqua pars litterae *Θ*.

X. 209. *ΠOΛINΔE,* in fusca membrana vestigia *Δ* excisi, *E* excisum.

X. 218. *EΦAΤ',* *T* evanidum, et correctum *Θ*, ex atramento et forma manu seriori. *ΣIΩΠH,* parvum rude *I* adscriptum videtur m. seriori ex atramento: membrana fusca.

F. 31. X, 557. *EΠEIH,* super *H* pars parvae litterae *Δ* m. serioris ex atramento.

X, 564. Membrana plicata cooperuit initiale *Ω* cum paragrapho, decolor ex atramento evanido, ut est in aliis litteris proximis, quae in membrana fusca albae ex atramento absumpto apparent, itemque albescentes in heliotypia.

EIΠΩN, *Π* fere periit, et vix reliquit vestigia in

fusca membrana; parva plicatura superior revoluta alia vestigia litterae servat.

X, 565. *ΚΑΓΧΑΛΟΩΝ*, pars litterarum *ΚΑ* est in vestigiis evanidis, pars periit jactura fuscae membranae, ut est de *ΓΧΑ*.

X, 567, 568. Vetus plicatura, quae facta est, ut apparet ex conditione codicis, quando excisae fuerunt membranae, ad initium linearum cooperuit sequentia, quae plena vel detrita adhuc exstant in explicata membrana; ista periisset si extenta fuisset ac firmata pro photographia. Membrana valde obfuscata est. Ea quae plene perierunt, punctis indico.

567. .*ΠΠΟΥΣΜΕΝ*

568. . . . *ΝΗΙΕΦ'ΙΠΠΕΙΗΙΟΘΙΠΕΡΑΙΟΜ*

F. 32. XI, 562. *ΣΠΟΥΔΗΤ*, inter *ΗΤ* insertum parvum *Ι* ascriptum, quod videretur esse ex correctione primae manus; sed nec forma confirmaret, nec color juvat judicium, cum labefactatus sit; conditio tamen coloris evanidi eadem apparet ac in litteris proximis primae manus.

F. 33. Evanidus ductus linearis, imum versus XI, 597 tangens, est pellucens caerulea linea septi interioris picturae posticae, et in ipso versu maculatum quid est ex rubro pellucenti ejusdem septi.

XI, 600. *ΣΤΗΚΕΙ*, ante *Σ* spatium fert *Ι*, non *Ε*, ut patet etiam ex ipsa linea sequenti: sunt quidem ductus extremi *Ε* in codice, magis perspicui ex forti photographia in heliotypia: sed ex forma differenti ab illa primae manus et ex eorum tenuitate referunt *Ε* ex *Ι* factum, cujus ductus periit in exesa membrana.

XI, 608. *ΤΩΙ*, *Ι* erasum fuit, ut etiam ex membrana luci opposita evidens est. Indicia *Ε* tenuissimi in eo inscripti jam evanida vix suspicari licet; heliotypia ea refert ut membrana, et fortius; sed vereor, ne oculorum lusus sit.

F. 34. XII, 2. *ΔΕΜΑΧΟΝ*.., nullum apostrophi indicium in membrana, saltem primae manus.

XII, 5. *ΔΕ* super *ΤΕ* ex colore manu satis antiqua sed seriori; accentus ipso *ΔΕ* posterius.

XII, 8. *ΕΧΟΝ*, *Ο* atramento seriori et forma minori dissimili primae scripturae; spatium congruit litterae *Ω*. Lineolae in litteris *ΧΟΝ* cinnabari scripta sunt, ut aliae in hac pagina et macula longa inter vv. 9-10 initio; longe seriores ex vivido colore apparent.

XII, 9. *ΗΕΝ*, in fuscata membrana melius apparent vestigia certa litterae *Η*, aliae avulsae.

XII, 16. *ΑΡΓΕΙΟΙ*, super *Ε* duo puncta, cinnabari scripta qua lineolae v. 8.

ΝΗΥΣΙ, *Ν* minus exactum, et esse videtur super rasura, vel super membrana ante scripturam leviter abrasa. In margine sinistro ductus ut minusculi η vetusti, atramentum sub chartae agglutinatae laciniis videretur vetustissimum. Num nota corrigendi *Ν* supradicti, pro quo primo scriptum fuerit *Η* sequens? *Ν* ex atramento 1 manus est.

XII, 18. *ΕΙΣΑΓΑΓΟΝΤΕΣ*, sub plicatura pars *Ε* et *Σ* partim abscisi.

XII, 24. Initio sub plicatura alia vestigia litte-

rarum vocis *ΤΩΝ:* in fine in membrana plicata a parte picturae est alia pars fuscata litterae *Ω* absciso *N.*

F. 35. XII, 139. Maculae sunt ex septo obversae paginae in hac pellucenti.

XII, 141. *ΕΥΚΝΗΜΕΙΔΑΣ*, puncta reprobantia alterum *E* sunt ex colore seriora. Diaeresis ad *Y* ex fuscata membrana non liquet qua manu sit.

XII, 147. *ΔΕΧΕΤΑΙ, ΑΙ* arcte in rasura litterae *E* quantum apparet: ex colore videtur correctio primae m. *Δ* tamen retractatum manu seriori ubi magis nigricat.

XII, 149. Initio membrana corrugata et fuscata.

XII, 150. *ΓΙΝΕΤΑΙ,* membrana lacerata et partim avulsa, sed certae litterae *ΓΙ* ex partibus superstitibus ante *N,* nec ex ipso spatio fuit *ΓΠ.*

F. 36. XII, 229. *ΠΕΠΙΘΟΙΑΤΟ,* puncta reprobantia *ΠΕ* ex colore apparent seriora.

XII, 233. *ΕΙΕΤΕΟΝ* sine *Δ,* quod nec spatium capit: omnia certa ex membrana, in qua ex atramento relucent, et heliotypia aeque fere refert.

XII, 234. *ΑΡ,* non *ΑΡΑ,* ex atramento pellucenti in membrana fusca; etiam heliotypia satis demonstrat; nec spatium ferebat alterum *A.* Fortasse ex similibus *ΑΔ* (*ΔΗ*) scriptor oscitans omisit primum.

XII, 236. *ΚΑΤΕΝΕΥΣΕ,* ultimi *E* vix vestigia plane alba in membrana quae in heliotypia aegre ex membrana collata suspicari licet: *N* in fine ex membrana non erat, quantum apparet.

XII, 238. *ΑΛΕΓΙΖΩ, ΙΖ* plane evanida, sed in codice deprehenduntur, ut in v. 236.

F. 37. Tota fere pagina vario gradu fuscata tinctura, quae ubi densior magis obscuravit litteras plures, quae in codice ex atramento nova tinctura vividiori effecto magis apparent quam in heliotypia, in qua tamen textu edito assumpto etiam fusca magis vestigia deprehendere licet.

XII, 430. *ΠΑΝΤΗ,* parvum *I* ascriptum, quod ex colore saltem serius videtur: pars ejus superior in membrana corrugata periit in heliotypia.

XII, 432. Versum ἀλλ' οὐδ' ὣς ἐδύναντο φόβον ποιῆσαι Ἀχαιῶν, omisit. Praeterquam quod nullus testis omittit, quantum scio, contextus ipse postulat. Cum sequens versus eadem voce αλλ' incipiat, scriptor codicis communi errore ad hunc transiliit, ut notat Angelus Mai; quod etiam facilius fieri poterat ex praecedenti versu desinenti in eandem vocem Ἀχαιῶν.

XII, 434. *ΑΝΕΛΚΕΙ,* spiritus et accentus ex forma et colore seriores sunt.

F. 38. XIII, 395. *Γ',* apostrophus formam primae manus tuetur, quae in hac ipsa pagina occurrit v. 396-400, 404-7.

XIII, 401. *ΕΥΚΝΗΜΕΙΔΑΣ,* punctum super *E* serius, ut XII, 141.

XIII, 405. *ΚΡΥΦΘΗΙ, I* evanidum, non erasum.

XIII, 408. Solum seriores accentus et spiritus aliquot supersunt, et vestigia suprema incerta aliquot litterarum.

F. 39. XIV, 414. Post *ΕΞ* in ullis plicaturis reliquiae inferiores litterarum *ΕΡ* et *Η.*

XIV, 415. *ΟΛΜΗΙ, Ι* ductu evanido seriori ex atramento reprobatum fuit.

XIV, 418. *ΩΚΥ,* serius reprobato *Υ* substitutum *Λ* debili atramento.

ΜΕΝΟΣΧΑΜΑΙΕΝ, litteris superscriptis ordo vocum restitutus atramento seriori alio ac notae praecedentis: in littera *α* superscripta quid confusi est: accentus super *Α* gravis more vetustissimo serior est.

XIV, 420. Omissus est versus cum P^ro^, A et aliis minusculis apud Monro.

XIV, 427. *ΤΙΣ,* accentus est posterioris manus aliis collatis, ut v. 422, 423.

XIV, 434. *ΑΘΑΝΑΤΟΣ,* ductus obliquus in primo *Α* serior est ex colore, potius macula.

F. 40. XV, 377. Hujus versus vix ulla ima vestigia incerta etiam sub plicata membrana.

XV, 378. Initio avulsa membrana, et vix vestigia litterarum *ΝΑΙ* ante *ΩΝ.*

XV, 397. *ΜΗΡΩΙ, Ι* reprobatur lineola seriore.

F. 41. XV, 674. *ΘΥΜΩΙ, Ι* evanidum et chartae agglutinatae particula coopertum, sed ex forma serius videtur.

XV, 678. *ΒΛΗΤΡΟΙΣΙ, Τ* videretur magna parte erasum, sed ex membrana male habita potuit sic deformari.

ΔΥΩΚΑΙΕΙΚΟΣΙΠΗΧΥ, ὑφέν, et de eo nota in margine, atque accentus super *ΚΑΙ* seriora et ejusdem atramenti sunt, primus accentus super *ΔΥΩ* et ultimus super *ΕΙΚΟΣΙ* aeque seriores, et diverso atramento inter se et a praecedenti exarantur.

XV, 679. *ΚΕΛΗΘΙΖΕΙΝ, Θ* est super rasura (erasa enim non, detrita membrana quantum apparet), evanidum ut proximae litterae, et in superiori parte novo atramento serius retractatum: littera in heliotypia quidem ex rasura deformata est, sed in membrana refert primam scripturam in forma, et si quid vix differt in colore, quantum in litteris evanidis super rasura discerni potest, id ex rasura esset. Si *Θ* est super *Τ* primitus scripto, huius vestigia non deprehendo. *Θ* tamen serius reprobatum lineola ejusdem ut apparet atramenti quo super *ΗΘ* scriptum *Τ. Κελεθίζειν* (sic) habet Hesychius in ed. 2 minori Schmidt, 1867.

XV, 681. *ΠΕΔΙΟΙΟ,* ultima *ΙΟ* in rasura, quae ex sua conditione litteram *Υ* plane admittit: in membrana evanida et chartae agglutinatae particulis paullum fuscata ejusdem coloris ac caetera videntur, et forma eadem est licet paullum imminuta.

XV, 682. *ΛΑΟΦΟΡΟΝ, Ρ* excepta basi serius instauratum.

XV, 684. *ΘΡΩΣΚΩΝ,* linea in primo *Ω,* et parvum iota adscriptum seriora, nec eodem atramento scripta.

F. 43 r. XVI, 758-772. Partim valde evanidus codex; heliotypia plane reddit vel litterarum vestigia, sed vv. 761-765 plures litterae omnino evanuerunt in ipso codice, quae tamen ex ullis punctis relictis et magis in erosione membranae ex atramento tutius in illo deprehenduntur. Sunt autem 761 *ΛΩ,* 762 *ΕΝΚΕΦ,* 763 *ΛΟΣΔ'Ε,* 764 *ΚΑΙΔΑΝ,* 765 *ΡΟΣΤ.* Apostrophus v. 763 etiam in codice incertus.

XVI, 758. *ΜΕΓΑ, Α* novo atramento deformatum.

XVI, 762. *ΚΕΦΑΛΗΙΦΙΝ, Ι* post *Η* ductu seriori videtur reprobatum.

F. 43, v. XVI, 784. Solum superiores ductus plurium litterarum supersunt: ex iis codex legit *ΕΝΟΡΟΥΣΕ,* non *ΕΠΟΡΟΥΣΕ,* cum evidenter desit linea superior litterae *Π,* quae numquam deest, et plane eam repraesentant et codex et heliotypia in parte superiori servata vocis praecedentis *ΕΠΕΙΤ'*.

F. 44. XVII, 7. *ΠΑΝΤΟΣ,* dubia in macula super *Σ* apparent vestigia apostrophi.

XVII, 19. *ΠΑΤΕΡ·*, sicubi hic videretur punctum primae manus ex atramento, sed fuscata membrana judicium tutum non permittit. Praeterea forma est fere apostrophi, qui tamen superius apponitur semper. Cf. n. 36, 39, 44.

XVII, 24. *ΒΙΗΙ, Ι* finale videtur erasum, sed conditio membranae non permittit judicium certum.

F. 45. XVII, 88. *ΙΚΕΛΟΣ,* ex litteris fere integris et certis in membrana et in heliotypia licet fuscis, et ex ipso spatio, non *ΕΙΚΕΛΟΣ.*

XVII, 90. *ΕΙΠΕ,* ultimum *Ε* retractatum totum serius, nec vestigium apparet litterae primae manus, quae tamen non poterat esse nisi *Ε,* ex spatio convenienti et ex deficiente vestigio alius litterae.

XVII, 95. *ΠΕΡΙΣΤΕΙΩΣ,* super primo *Σ* punctum quod ex colore videretur primae manus, sed non liquet ex fusca membrana. Num ex forma litterarum simili *Ε* et *Σ* in codice positum super *Σ* loco sequentis *Ε,* ut error indicaretur? Est enim *ΠΕΡΙΣΤΗΩΣ.* Apostrophus in fine est manus incertae ex colore evanido et forma, διαστολή post *ΠΕΡΙ* ex atramento serior.

F. 47. XXI, 399. *Μ'* superscriptum ex atramento longe recens.

XXI, 400. *ΩΣ,* in medio lineae paragraphi macula est ex colore, non ductus primae manus.

XXI, 407. *ΠΕΣΩΝ,* extremitates semicirculorum litterae *Ω* deformationes seriores.

F. 48. XXII, 9. *ΜΕ,* prior pars litterae *Μ* satis relucet in membrana fusca, et vestigia ut licuit retinet heliotypia, *Ε* avulsum.

XXII, 12. Punctum post *ΤΟΙ* est macula heliotypiae.

XXII, 14. *ΑΧΙΛΕΥΣ,* parvum *Λ* insertum m. seriori ex atramento.

XXII, 17. *ΤΟ* erasum vel detritum.

XXII, 19. *ΟΠΙϹϹΩΙ,* in fine erasum *Ι* jam reprobatum lineola seriori aeque abrasa.

F. 49. XXIII, 510. *ΟΥΔ,* apostrophus ex forma, colore et loco serius.

XXIII 515. *ΜΕΝΕΛΑΟΝ,* ultimum *Ν* in heliotypia obscuratum ex fusca membrana, in qua ex atramento relucet.

XXIII, 516. *ΜΕΝΕΛΑΟΝ,* ultimum *Ν* erasum, et suffectum *Σ* manu longe seriori ex ipso atramento.

ΙΠΠΟΥΣ, Υ ut *Ν* v. 515, *Σ* abscisum.

XXIII, 518. Post *ΟΧΕΣΦΙΝ* et extra serius punctum est littera *Ι* evanida in fusca membrana: de colore non liquet, forma paullum differt a 1 m.: nescio quid indicet.

XXIII, 523. *ΛΕΙΠΕΤ'*, pars *Λ* est in membrana

inferius plicata in pagina picta, et ibi apparet aliquid etiam in heliotypia; membrana est fuscata, sed apostrophus ex indicio satis probabilis 1 m.

XXIII, 524. *ΟΦΕΛΛΕΤΟ*, inter *ΤΟ* ductus recurvus in heliotypia est a fracta membrana valde fusca, ut apparet.

F. 50. Pictura praecedit textum, ut mox patebit; ideoque mutanda *v.* et *r.*

XXIII, 768. *ΟΔΥΣΣ*: cf. supra n. 34.

XXIII, 777. *ΠΛΗΙΟ*, inferior pars litterarum *ΠΛΗ* est valde pessumdata in plicatura membranae in parte picturae, in qua litterae ordine retrogradi et sursum versae apparent sub Ulixe craterem accipiente.

ΤΕΡΙΝΑ, inferius cooperta plicatura: diaeresis serior est. Explicata autem membrana apparent *ΟΣΟΔΥΣ*, versus 778: et in parte picturae *ΚΑΙΤΟΥ* in membrana ibi pessumdata et atra, quae aliquantum apparent sub *ΑΤΕΡΙΝ* in heliotypia, ordine retrogradi et sursum versa. Litterae vero *ΚΑΙΤΟΥ* non occurrunt ab hoc versu ad 789 sed in v. 753, quem ratione habita picturae in fronte paginae sequebantur v. 754-764 ex spatio 50 versuum in folio computata pictura. Totum folium sic componendum est. F. r. Pictura spatio vv. 13 ex textu in parte postica: infra pict. vv. 753-764 = v. 25: fol. v. 765-778, vv. 14, excisi 779-789 = v. 25. Si pictura in f. verso fuisset, ex numero versuum 25 in folio r. *ΚΑΙΤΟΥ* essent in v. 780, in quo desunt.

F. 51. Consutum fuerat ex conditione codicis cum f. 52 in versibus 252-3, 329-330, ut esset f. 52 inferius versus suturam compaginis. Restant in utroque fila et puncta.

XXIV, 244. Membrana valde sordida et fusca, scriptura tamen ex forti atramento aperta: heliotypia ut sordes minus apparerent, facta est debiliori colore, sed plane scripturam codicis refert.

XXIV, 247. Post *ΕΞΩ* in membrana obscurata et corrugata littera I apparet, et fere etiam in heliotypia.

XXIV, 250. *ΑΝΤΙΦΟΝΟΝ*, ultimum *ΟΝ* erasum videtur, vel casu aliquo vexatum.

F. 52. XXIV, 329-330 maculae ex septo f. 51, et fila suturae.

XXIV, 331. *ΖΗΝ:* heliotypia plane refert codicem, et ex conditione membranae vix apostrophi dubium indicium 1 manus; quod illi superius est fere punctum flavescens vel macula.

XXIV, 335-338. Initio linearum particulae membranae distractae operuerunt saltem partim in heliotypia evanescentes et partim dissipatos ductus litterarum: refero quas explicata membrana deprehendi integras litteras vel earum residua, spatium confirmat quae do, plane deperdita omitto, apposita inter uncos voce. V, 335. *ΑΝΔ* (*ΑΝΔΡΙ*), 336 *ΑΣΚ'ΙΘΙ* (*ΒΑΣΚ'ΙΘΙ*), 337 *ΩΣΑΓΑΓ'Ω* (*ΩΣΑΓΑΓ'ΩΣ*), 338 ante *ΩΝ* (*ΑΛΛΩΝ*), in alto ductus rectus, ex atramento evanido et membrana sordida dubiae manus, sed videtur ex colore serior: quid indicet nescio nisi casu est. Quae praecedunt in hac et sequentibus lineis avulsa fuerunt.

ANGELI MAI

PICTURARUM CODICIS HOMERICI DESCRIPTIO HISTORICA.

Descriptio haec sumpta est ex opere **Homeri Iliados Picturae antiquae**, Romae, 1835, p. 19, *in qua paullum retractata est descriptio subjecta singulis picturis in majori ed. an. 1819* (Cf. supra, p. 3, n. 7).

I. — In media pictura Chryses sacerdos Apollinem orans, Iliad. lib. I. v. 37; cuius templum in dextra picturae parte visitur, v. 39. Tum ipse Deus castra Graecorum sagittis appetens, v. 43. Infra exercitus moriens e peste, v. 51; et quidem ipsa cadavera rogis iniecta, v. 52. Sinistrâ Agamemnon cum graecis ducibus et Calchante augure. Stans loquitur Achilles de peste sedanda sollicitus, v. 58. Dextrâ mare cum navibus. Huic picturae et aliis deinceps nonnullis contrectatio vetustas cariesque multum detrimenti attulerunt.

II. — Graecorum ducum concio, in qua tantopere excandescit Achilles adversus Agamemnonem, ut ensem occisurus exerat, nisi a Minerva, quae in evanida pictura vix cernitur, cohibeatur, lib. I. 190. Extremi in consessu sunt, hinc quidem Ulyxes cum pileo nautico, illinc autem Nestor barba promissa insignis.

III. — Concio graecorum ducum, in qua quum Achilles Minervae obtemperans ab Agamemnone manus abstinuisset, Dea in caelum recedit, lib. I. v. 221. Achilles vero, postquam conviciis Agamemnonem proscidit, sceptrum humi proiicit, v. 245. Tum Nestor dissidentes componere oratione studet, v. 254; sed enim Achilles irae tenax ad naves cum Patroclo et sociis secedit, v. 306.

IV. — Agamemnon cum graecis ducibus pro peste sistenda hostias immolans. Retro exercitus lustratus. In media pictura arae duae, lib. I. v. 313.

V. — Achilles in tentorio suo sedens, post quem Patroclus nonnullique Myrmidones. Coram pileati et cum caduceis Talthybius atque Eurybates nuntii Agamemnonis ad exigendam Briseidem missi, lib. I. 320.

VI. — In tentorio Achilles cum Patroclo et Myrmidonibus. Talthybius et Eurybates Briseidem abducunt, lib. I. 345.

VII. — Luctus Achillis propter ereptam Briseidem, lib. I. v. 357. Coram Thetis mater mari emersa consolatur maerentem, v. 362.

VIII. — Quum Agamemnon captivam Chryseidem patri sacerdoti reddendam censuisset, lib. I. v. 310, haec ab Ulyxe ad Chrysam urbem natalem navi vehitur, v. 430. In littore ante fanum Apollinis parens filiam laetus recipit. Victimas quoque videre est, quas Agamemnon Numinis causa placandi miserat, v. 309. 438. In conspectu est urbs Apollinis Chrysa.

IX. — In dextra picturae parte Iupiter, a quo Thetis supplex honorem Achilli filio enixe flagitat, lib. I. v. 500. Laevâ consessus Deorum, in quo sedent Iupiter, Iuno, Minerva, Venus, Mars, Apollo: Mercurius autem Deorum minister stat. Iuno apud Iovem conqueritur de eius nupero cum Thetide colloquio, v. 540.

X. — Deorum convivium, in quo accumbunt Iupiter, Iuno, Minerva, Venus, Mars. Vulcanus autem convivium exhilaraturus

poculum Iunoni propinat, lib. I. v. 584. Et quidem in sinistra picturae parte crater ingens visitur ex quo nectar Vulcanus hauriebat, v. 598. Adest Apollo citharam pulsans, concinentibus Musis, v. 603.

XI. — Graeci naves ad mare trahentes in patriam remeaturi, lib. II. v. 150. Ulyxes, Minerva suadente, eos deterret ab incoepto, v. 168.

XII. — Exercitus ducesque graeci Aulide sacra facientes prope fontem, lib. II. v. 303. Calchas portentum edisserit draconis passerculos cum matre vorantis, v. 322. Haec sunt ex oratione Ulyxis, v. 284. sqq.

XIII. — Ulyxis Nestorisque eloquentiâ tum et Agamemnonis iussu graecus exercitus ad Troiam retentus, rei sacrae dat operam, lib. II. v. 400. Rex ipse Agamemnon ad aram sacrificat, praesentibus Menelao, Idomeneo, Aiace utroque, Nestore, Diomede atque Ulyxe, v. 402. Popa seminudus elata bipenni bovem immolat. Iupiter in nubibus preces Agamemnonis audit severo vultu, quippe qui graves labores Graecis parabat, ante quam eos voti compotes faceret, v. 419.

XIV. — Troianorum acies, quam recenset Homerus, lib. II. v. 815. praeeuntibus Hectore, Aenea, Pandaro, Adrasto, Sarpedone, aliisque ducibus. Et quidem hanc esse Troianorum aciem satis docent phrygii pilei. Periit autem pictura qua Graecorum catalogus exprimebatur.

XV. — Menelaus vulneratur a Pandaro troiano, lib. IV. v. 105. sqq. Prope est Agamemnon re haud provisa obstupescens. In sinistra picturae parte iterum Menelaus, cui medicinam facit Machaon v. 210.

XVI. — Atrox pugna quae libro V. describitur. Cernitur Diomedes flammâ in galea scutoque conspicuus, quem Minerva in mediam pugnam impellit, v. 4-8. Phegeus in pectore vulneratur, v. 19. In acie graeca visitur etiam Vlyxes, ut alias saepe in his picturis.

XVII. — Proelium continuatur. Minerva Martem, qui Troianis favebat, acie eductum sedere iubet ad Scamandrum, lib. V. v. 35. In media pugna Diomedes flammivomis armis noscendus, quem Pandarus sagitta appetit, v. 95.

XVIII. — Apollo Troianorum auxiliator Diomedem increpat, qui aliquantum ab acie prima recedit, lib. V. v. 440. Aeneas cernitur post Apollinem, a quo protegitur v. 437. (Cf. supra p. 32, nota ad f. 16, 17, pict. XVIII, XIX).

XIX. — Venus Iovi manum ostendit quam ei vulneraverat Diomedes. (Quamquam revera manum Venus non Iovi sed Dionae matri ostendit, lib. V. v. 370, a Iove autem tantummodo monita est ut ab opere bellico abstineret, v. 428.) Iuno et Minerva Venerem irrident, v. 418.

XX. — Fervet adhuc pugna, quae toto lib. V. narratur. Iam huius picturae continentia paulo incertior est; dextrâ tamen videtur Hector Menesthem et Anchialum sagittis configere, lib. V. v. 608; sinistrâ videtur Aiax Telamonius ex Amphii cadavere hastam impresso calce educere, v. 620. Quin et Ulyxes pileatus de more et corpore inermi media in acie versatur.

XXI. — In media pictura Tlepolemus graecus a lycio Sarpedone hasta ad iugulum adacta interimitur, lib. V. v. 657. Tum in sinistra picturae parte videtur ipse Sarpedon saucius et iam a graeco milite conficiendus, suorum ope protegi, v. 663; dextra denique parte idem Sarpedon saucius sub fago, v. 693. Ulyxes seminudus contra Lycios pugnat, v. 676. In caelo Iupiter, Iuno et Minerva, quos Deos huic pugnae interesse ac prope praeesse facit Homerus.

XXII. — In nubibus adhuc Iupiter, Iuno et Minerva. Quum autem Iupiter annuisset ut Minerva pro Graecis Marti adversaretur, lib. V. v. 765; haec caelo lapsa, in Diomedis biga insistit, atque heroa contra Martem exstimulat, v. 837. Reapse Diomedes iaculum in Martem vibrat, qui inter Troianos proeliatur, v. 855. Eminent item in pugna Hector, Ulyxes, aliique graeci et troiani heroës.

XXIII. — Mars post inflictum sibi a Diomede vulnus, in Olympum conscendens, de accepta a viro mortali iniuria apud Iovem expostulat, lib. V. v. 872. Idem autem abs Iove ob suum amentem furorem et perpetuum belli studium increpatur, v. 888. Adsident Iovi Iuno et Minerva, quas revera narrat Homerus, postquam Martem proelio expulissent, in caelum ad Iovem rediisse, v. 907. Adsidet etiam Apollo vultu ad maestitiam composito: siquidem Apollinem Troianis semper faventem par est Martis misereri, qui pro iis bellans vulnus acceperat.

XXIV. — Urbs Troia, Scaea porta, et Priami regia. Hector urbem ingressus ut adversam Troianis Minervam placandam cu-

raret, obviam habet Hecubam matrem. Altera quoque femina iunior adest, quam aliquis fortasse Laodicen esse, sororem Hectoris, existimabit, ad quam Hecuba conveniendam pergebat, lib. VI. v. 252. Sed enim huius feminae idem fere cultus est atque Andromachae in XXVI. pictura; ergo ut ibi pictor Hecubam, praeter Homeri sententiam, addidit, ita hoc loco Andromacham sponte sua pinxisse videtur.

XXV. — In dextra picturae parte mulieres troianae peplum Minervae offerentes, lib. VI. v. 286. Eminet inter matronas Theano sacerdos infulâ sceptroque decora, v. 298. ante tripodem ex quo oracula reddi solebant. Coram est templum cum signo Minervae, quae vultum a supplicibus avertit, v. 311. *ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη*: *Diva solo fixos oculos aversa tenebat* (Virgil. Aen. I, 486). In sinistra picturae parte Hector Paridem, pileo phrygio pedoque pastorali noscendum, adloquitur, eumque ut e thalamo ad proelium exeat hortatur, v. 326. Paridi adsidet Helena, v. 323. Troianae urbis aedificia circumstant.

XXVI. — Hectoris cum Andromacha uxore colloquium, lib. VI. v. 390. Iam in hac pictura adornanda Homerum artifex non admodum est secutus. Primo enim Hectorem sedentem fecit, quum tamen illud colloquium peractum a stantibus in via publica videatur. Tum Hecubae personam sponte obtrusit. Denique Astyanactem paulo maiore aetate donavit, quam in Homeri narratione docetur. Quamquam et in vetere anaglyptico opere (apud Winckelmannum *Monum. ined.* T. I. ed. prim. n. 135.) Astyanax fere duodennis parentem Hectorem, cuius effertur cadaver, luget; itemque in Senecae Troade Astyanax non est infans. Post Andromacham visitur nutrix seu famula succincta et serviliter attonsa.

XXVII. In dextra picturae parte graeci propugnaculi constructio, lib. VII. v. 436. Caementarii fabri phrygium pileolum gestant, vel quia fortasse Troiani sunt apud Graecos captivi, vel quia eiusmodi pileo utebantur vulgo prisci opifices. Sinistrâ Graeci caenantes, v. 466. in singulis stibadiis terni sub humilibus umbraculis. In medio tamen stibadio quaterni accumbunt, nimirum Agamemnon, Menelaus, Ulyxes quartusque Aiax Telamonius, qui nuper singulari cum Hectore certamine paene victor ab Agamemnone convivio exceptus fuit, v. 321. Iuxta est mare navesque a Lemno advenientes vinumque in testis vehentes, v. 467.

XXVII *bis*. — Pictura extitit in codice, quae consessum Deorum exhibuit in exordio octavi libri descriptum. Ea tamen periit, excepta lacinia infima, in qua nihil figuratum superest. (Ex additis sub pictura sequenti, ullis pro re mutatis).

XXVIII. — Peracta nocte in conviviis, Graeci mane armantur ad pugnam, lib. VIII. v. 53, qua inita Troiani superiores evadebant. Tum Agamemnon suis increpitis, v. 228, Iovem etiam enixe oravit, ne graecus exercitus occidione occideretur, v. 236; quibus precibus annuens Iupiter aquilam misit, quae hinnulum ex unguibus in terram deiecit, v. 247. Iam prodigii explicatio haec. Aquila, avis victrix, Hectorem ac Troianos Graecorum victores significat: hinnulus, timidum animal, Graecos inferiores et victos: quod autem aquila praedam captam abiicit, id scilicet portendit Troianorum victoriam brevi irritam fore: porro hinnulus ad Iovis aram abiicitur, ut intelligere liceat a Iove preces Agamemnonis esse acceptas atque hunc compotem voti futurum.

XXIX. — Prodigio Graeci firmati sese adversus Troianos converterunt alacrius, lib. VIII. v. 251. Cernuntur igitur in prima acie Graecorum fortissimi quique, itemque in prima acie Troianorum Hector et reliqui heroës. Qui in dextra picturae parte colloquuntur, ii Agamemnon Teucerque videntur: quippe Teucer ab Aiace Telamonio protectus Troianos complures sagittis occiderat; quod conspicatus Agamemnon, ad eum venit eidemque rem bene gestam gratulatus est, v. 278. In picturae vertice Iuno, Minerva, et Iris alata, quae cur huic pugnae interessent, causa eiusmodi fuit. Hector Teucrum saxo appetiit, eo successu ut hic saucius a sagittando destiterit, v. 322. Hinc Graecorum fuga usque ad naves facta est. Iuno vero et Minerva e caelo sese commoverunt, ut Troianis victoribus metum iniicerent, v. 350: quod Iupiter improbans, Irim submisit quae Deas ab incoepto minaciter deterreret, v. 397. Cernitur Iuno peplo in caput adducto; Minerva tamen peplo caret, quia id in Iovis domo proiecerat, v. 385.

XXX. — Nocte superveniente Troianos Hector extra urbem in armis continet eosque adloquitur, lib. VIII. v. 489. Mox cibus capitur ab exercitu in stibadiis seu toris herbosis. In medio, ideoque honestiore, toro discumbit cum aliis ducibus Hector cristata galea conspicuus. Tenebras multi ignes dispellunt, v. 554.

XXXI. — Hesterna clade consternatus Agamemnon ducum coetum per praecones noctu convocat, fugamque in patriam flens suadet, lib. IX. v. 1. sqq.

XXXII. — Agamemnonis de bello omittendo sententiae contradixerunt primus Diomedes, deinde Nestor, lib. IX. v. 31. Iam duos hosce heroas, praesentes quidem concilio prior tabula exhibet, haec autem loquentes facit.

XXXIII. — Nocturnus graecorum ducum consessus deliberantium de mittendis in castra troiana speculatoribus, lib. X. v. 194. Sedent igitur Idomeneus, Agamemnon, Menelaus, Aiaces duo et Phylei filius Meges. Stant Nestor, Diomedes et Ulyxes. Nestor quidem concionatur, v. 203; Diomedes vero et Ulyxes speculandi munus excipiunt. Adstant etiam praecones armatique custodes.

XXXIV. — Diomedes atque Ulyxes ad speculandum profecti, Dolonem troianum capiunt, qui lupi pelle indutus ad castra graeca exploranda veniebat, lib. X. v. 314. sqq. Idem mox Dolon in sinistra picturae parte crudeli supplicio adficitur, v. 455. In picturae vertice nox alata.

XXXV. — Ulyxes ac Diomedes castra Thracum dormientium ingressi caedi indulgent, lib. X. v. 470; et quidem Diomedes Rhesum regem in medio cubantem interimit, v. 494. In sinistra picturae parte Ulyxes ac Diomedes ad Graecorum castra cum Rhesi equis reversi excipiuntur a Nestore aliisque ducibus, v. 532. Nox adhuc caelum alis amplectitur.

XXXVI. — Sequenti die motis iterum armis vulnerantur Graecorum fortissimi quique. Sane in hac pictura Eurypylum a Paride in femore vulneratum videre est, lib. XI. v. 580: tum etiam Machaonem curru a Nestore avectum, propterea quod ab eodem Paride vulnus acceperat, v. 505. et v. 597.

XXXVII. — Achilles cum sodale Patroclo pugnam Graecorum e navibus observat, lib. XI. v. 599; statimque Patroclum mittit ad Nestorem qui in tentorio cum Machaone potione se reficit, v. 624. Colloquuntur itaque stans Patroclus et Nestor sedens, v. 648. Tum ad Achillem revertens Patroclus Eurypylo saucio occurrit, cui delato in tentorium medetur, v. 841. Et quidem is, qui medicinam Eurypylo facit, habitu Patroclus est, qui autem adstat, habitu Achilles est.

XXXVIII. — Graeci, quum proelio inferiores discessissent, castris se concluserunt, quae fossa muroque ob naves tuendas muniverant. Supervenientibus autem Troianis certamen atrox atque oppugnatio fit, lib. XII. v. 1. sqq.

XXXIX. — Troianis graeca castra ferro saxis atque igne oppugnantibus a Iove prodigium mittitur aquila captum anguem unguibus gestans, quem tamen mox dimittit vulnus ab eodem perpessa, lib. XII. v. 200. Id prodigium Polydamas (in dextra picturae parte) sic Hectori explicat, ut etiamsi Troiani graeco propugnaculo potituri sint, nihilominus iidem funestum rei exitum nacturi videantur, v. 210.

XL. — Quum Polydamantis vaticinium Hector sprevisset, pugnae instant Troiani, quorum in acie prima Sarpedon loricatus eminet cum pileo phrygio scutoque bullis aeneis distincto, lib. XII. v. 292. Sarpedonem muro prohibent Teucer quidem sagitta, Aiax autem hastae coniectu, v. 400.

XLI. — Castrorum graecorum portam saxo Hector perfringit, lib. XII. v. 445; qua re Graeci territi ad naves diffugiunt, v. 470.

XLII. — Saeva pugna libro XIII. luculenter descripta. Graeci proceres Neptuni hortamentis confirmati Troianis fortiter resistunt, proque tentoriis ac navibus protegendis diu proeliantur, Idomeneo praesertim antesignano, v. 240. sqq. Et quidem heic cernitur Idomeneus Othryoneum a se interfectum pede trahens, v. 383.

XLIII. — Quum Iupiter arte Iunonis a Troianorum respectu fuisset amotus, quumque interim Neptunus Graecis faveret, Troiani caeduntur, Hectore vulnerato, lib. XIV. v. 409. Tum a Peneleo Ilionei capite hasta sublato, Troiani terga vertunt, v. 489. sqq.

XLIV. — Picturae pars magna periit. Ceterum videtur heic exhiberi Eurypylus haud procul graecis navibus in tentorio sedens propter vulnus acceptum, praesente sibi et medente Patroclo, qui et cladem Graecorum cum gemitu observabat, lib. XV. v. 390. Patrocli tamen vestigium nullum superest propter consumptam membranam. Haec autem XLIV. pictura reapse in membrana quadragesimam quintam praecedit, quamquam argumenti posterioris esse videtur.

XLV. — Troiani, opem ferente Apolline, Graecos graviter premunt, qui non sine clamore ad naves fuga secedunt, hor-

tantes inter se, Diisque vota sublatis manibus nuncupantes, lib. XV. v. 365.

XLVI. — Adhuc fuga Graecorum persequentibus Troianis et Apolline. Nestor fugientes retinere oratione nititur, lib. XV. v. 659.

XLVII. — Quum petenti Patroclo Achilles concessisset ut cum Myrmidonibus adversus Troianos pugnaret; ipse Iovi vinum libavit precesque obtulit pro fausto pugnae eventu Patroclique reditu, lib. XVI. v. 220. sqq. Cernitur Achilles velatus in tentorio sacrificans, Iupiter autem rem sacram aspiciens, v. 249.

XLVIII. — Patroclus post ingentem editam Troianorum caedem occiditur ab Hectore, lib. XVI. v. 818. Hoc in proelio versatur etiam Apollo, qui Patroclum quidem primo repulit Troiâ, v. 700, tum galea et thorace spoliavit, v. 793, postquam Hectorem contra eumdem exciverat, v. 715. In sinistra picturae parte Automedon cum Achillis equis, extincto iam Patroclo, pugna se subducit, v. 864. sqq.

XLIX. — In dextra picturae parte Menelaus Patrocli cadaver clypeo protegit, atque Euphorbum troianum hasta minisque submovere conatur, lib. XVII. v. 1. sqq. Ipse autem Euphorbus Patroclum primus vulneraverat, lib. XVI. v. 806, et nunc eiusdem spoliis potiri cupiebat, lib. XVII. v. 13.

L. — Euphorbum pro Patrocli spoliis pugnantem occidit Menelaus correptum capite ferroque in guttur adacto, lib. XVII. v. 47.

LI. — In sinistra picturae parte Menelaus arma Euphorbi a se occisi detrahere incipiens, lib. XVII. v. 59. et 70. Dextrâ Apollo Hectorem concitans adversus Menelaum, v. 71.

LII. — Scamander fluvius iratus quod sibi cursus cadaveribus Troianorum impediretur, Achillem caedis auctorem obiurgat, lib. XXI. v. 212. Achilles tamen a pictura mutila excidit.

LIII. — Quum Achilles a Scamandro increpitus, nihilo secius in Troianos saeviret, exundantibus aquis fluvius heroa paene obruit, qui sane periisset, nisi Vulcanus a Iunone matre immissus Scamandri aquas igne exussisset: quo incendio consternatus fluvius Iunonem in hac pictura obsecrat ut Vulcani vim sistat, lib. XXI. v. 367. Reapse autem Iuno Vulcanum tacto humero reprimit, v. 377.

LIV. — Ingenti clade fatigati Troiani urbe se concluserunt, quos Graeci persequentes ad moenia usque accesserunt, scuta sibi praetendentes propter iacula propugnatorum, lib. XXII. v. 1. sqq. Solus Hector extra moenia ante Scaeam portam substitit, atque Achillem pugnaturus expectavit, v. 5. 35. 92. Interim Priamus et Hecuba protentis e muro brachiis Hectorem, ut se in urbem reciperet, frustra obsecrabant, v. 37. sqq. Dum autem Hector multa secum deliberaret de recessu in urbem, de pace a Graecis petenda, de certamine cum Achille, hic quidem cursu concito supervenit, hastam contra Hectorem vibrans, v. 131.

LV. — Ludi curules ab Achille indicti in Patrocli inferiis, lib. XXIII. v. 262. In sinistrâ picturae parte athletae superveniunt hoc ordine, Diomedes, Antilochus, Menelaus, Meriones, v. 499. sqq. Dextrâ Achilles praemia distribuens, alii famulam, alii equam, alii phialam, alii aliud praemium. Conspicui sunt in graecorum ducum concione, praeter Achillem, Agamemnon, Idomeneus, v. 450; Aiax, v. 473; Ulyxes ac Nestor. Et quidem Nestor videtur aurigandi praecepta Antilocho filio tradere, quamquam reapse id ante cursum fecit, v. 304. Procul visitur meta, stipes nimirum aridus adiecto utrimque lapide, v. 327. De aurigarum variegato vestitu diximus in commentario praevio (p. 11; in ed. prima, p. XXIII).

LVI. — Cursus pedestris item ab Achille in inferiis Patrocli celebratus, lib. XXIII. v. 740. Cernitur Aiax in stercore bovino prolapsus v. 774, tum idem bovem praemium suum tenens, v. 780. Ulterius Ulyxes metam attingens; tum idem craterem praemium accipiens, v. 778. Coram graeci duces ludum spectantes; in medio mensa cum praemiis itemque vas palmarium.

LVII. — Profecturus ad Achillem Priamus, ut Hectoris corpus redimeret, pateram ab Hecuba accipit Iovi ad aram libaturus, lib. XXIV. v. 305. In evanida pictura aegre admodum visitur aquila, quam fausti augurii gratia Iupiter misit, v. 315. Adstant aliquot Priami liberi cum duplici rheda, mulinâ quidem quae pretia, equinâ vero quae Priamum ad Achillem vectura est, v. 248. sqq.

LVIII. — Priamus Troiâ ad Achillem proficiscens, itemque Idaeus praeco munera curru agens. Equi Priami mulaeque Idaei bibunt e fluvio, lib. XXIV. v. 350; quo in loco Mercurius a Iove missus, v. 333. occurrit iter agentibus, seque viae ducem praebet, v. 360.

TABULAE.

in Officina Fumagalli, Calzolari & Ferrario.

I, 1–13.

F. 1 r.

I, 37.

Pict. I. F. 1 v.



I, 68-77.

F. 2 r.

I, 101.


Pict. II. F. 2 v.



I, 178-190.

F. 3 r.

Pict. III. F. 3 v.



I, 283-289.

F. 4 r.

I, 315.

Pict. IV. F. 4 v.




I, 320-332.

F. 5 r.


I, 329.


Pict. V.

F. 5 v.




F. 6 r.




VI
VII.


I, 436-452

F. 7 r.



I, 432.

Pict. VIII. F. 7 v.




F. 8 r.



Pict. IX.

F. 8 v.





F. 9 r.

Pict. X.



II, 117-125.


F. 10 r.

II, 159.


Pict. XI. F. 10 v.



F. 11 r.




Pict. XII. F. 11 v.



II, 387-399.

F. 12 r.

Pict. XIII. F. 12 v.



II, 827-840.

F. 13 r.

Pict. XIV. F. 13 v.



IV, 102-115.

F. 14 r.

Pict. XV. F. 14 v.



F. 15 r.



V, 407-419.

F. 16 r.

Pict. XVIII. F. 16 v.




V, 422-432.

F. 17 r.

V, 418.

Pict. XIX.

F. 17 v.



F. 18 r.



V, 765-781.

F. 19 r.

Pict. XXII. F. 19 v.



F. 20 r.

Pict. XXIII. F. 20 v.



F. 21 r.

VI, 242.

Pict. XXIV. F. 21 v.



F. 22 r.

VI, 305.

Pict. XXV. F. 22 v.




VI, 417-433.

F. 23 v.

VI, 407.

F. 23 r. Pict. XXVI.



F. 24 r.

VII, 465.

Pict. XXVII.

F. 24 v.



F. 25 r.




VIII, ...

Pict. XXVII bis.

F. 25 v.



F. 26 r. Pict. XXVIII.



Pict. XXIX. F. 26 v.



F. 27 r.

VIII, 542.

Pict. XXX. F. 27 v.



IX, 1-25.

F. 28 r.

Pict. XXXI, XXXII. F. 28 v.



F. 29 r.


X, 194.

Pict. XXXIII. F. 29 v.



F. 30 r.

Pict. XXXIV. F. 30 v.



X, 557-568.

F. 31 r.

X, 469.

Pict. XXXV. F. 31 v.



XI, 562-572.

F. 32 v.

Pict. XXXVI. F. 32 v.




F. 33 r.

XI, 599.

Pict. XXXVII.

F. 33 v.



F. 34 v.



XII, 139–150.

F. 35 r.

XII, 195.

Pict. XXXIX. F. 35 v.




XII, 226-239.

F. 36 r.

Pict. XL. F. 36 v.



F. 37 r.



XII, 442.

Pict. XLI.

F. 37 v.



XIII, 393-408.

F. 38 v.

XIII, 383.

F. 38 r.

Pict. XLII.



F. 39 r.

Pict. XLIII. F. 39 v.



XV, 377-398.

F. 40 r.


XLIV
XLV

XV, 671-685.

F. 41 v.

F. 41 r.

Pict. XLVI.



F. 42 r.

XVI, 231.

Pict. XLVII. F. 42 v.



XVI, 758-772.

F. 43 r.

Pict. XLVIII. F. 43 v.



F. 44 r.



F. 45 v.

F. 45 r.

Pict. LI.



XXI, 202-213.

F. 46 r.

XXI, 212.

Pict. LII.

F. 46 v.



XXI, 393-409.

F. 47 v.

F. 47 r.

Pict. LIII.



F. 48 r.

[illegible]
[illegible]ΠΑΡΟΙΘΕΠΥΛΑΩΝΤΕΣΚΑΙΑΩ[illegible]
[illegible]ΠΗΛΕΙΩΝΑΠΡΟΣΗΥΔΑΦΟΙΒΟΣΑΠ[illegible]
[illegible]ΠΗΛΕΟΣΥΙΕΠΟΣΙΝΤΑΧΕΕΣΣΙΔΙΩ[illegible]
[illegible]ΤΟΣΘΝΗΤΟΣΕΩΝΘΕΟΝΑΜΒΡΟΤΟΝΟΥΔΕΝΥΠ[illegible]
[illegible]ΓΝΩΣΩΣΘΕΟΣΕΙΜΙΣΥΔΑΣΠΕΡΧΕΣΜΕΝΕΑΙΝ[illegible]
[illegible]ΝΥΤΟΙΟΥΤΙΜΕΛΕΙΤΡΩΩΝΠΟΝΟΣΟΥΣΕΦΟΒΗ[illegible]
[illegible]ΑΙΤΟΙΕΙΣΑΣΤΥΑΛΕΝΣΥΔΕΔΕΥΡΟΛΙΑΣΘΗΣ
[illegible]ΜΕΚΤΕΝΕΕΙΣΕΠΕΙΟΥΤΟΙΜΟΡΣΙΜΟΣΕΙΜΙ[illegible]
[illegible]ΜΕΓΟΧΘΗΣΑΣΠΡΟΣΕΦΗΠΟΔΑΣΩΚΥΣΑΧΙΛΛΕΥ[illegible]
[illegible]ΜΕΚΑΕΡΓΕΘΕΩΝΟΛΟΩΤΑΤΕΠΑΝΤΩΝ
[illegible]ΝΥΝΤΡΕΨΑΣΑΠΟΤΕΙΧΕΟΣΗΚΕΤΙΠΟΛΛΟΙ
[illegible]ΕΙΛΟΝ[illegible]ΠΡΙΝΙΛΙΟΝΕΙΣΑΦΙΚΕΣΘΑΙ
[illegible]ΜΕΝΜΕΓΑΚΥΔΟΣΑΦΕΙΛΟΤΟΥΣΔΕΣΑΩΣΑ[illegible]
[illegible]ΕΠΕΙΟΥΤΙΤΙΣΙΝΓΕΔΕΙΣΑΣΟΠΙΣΣΩ
[illegible]ΜΗΝΕΙΜΟΙΔΥΝΑΜΙΣΓΕΠΑΡΕΙΗ
[illegible]ΠΡΟΤΙΑΣΤΥΜΕΓΑΦΡΟΝΕΩΝΕΒΕΒΗΚΕΙ
[illegible]ΩΣΘΙΠΠΟΣΑΕΘΛΟΦΟΡΟΣΣΥΝΟΧΕΣΦΙ[illegible]
[illegible]ΕΠΙΣ[illegible]ΤΑΙΝΟΜΕΝΟΣΠΕΔΙΟΙΟ
[illegible]ΠΟΔΑΣΚΑΙΓΟΥΝΑΤΕΝΩΜΑ[illegible]
[illegible]

XXII, 5.

Pict. LIV.

F. 48 v.



XXIII, 509-525.

F. 49 v.


F. 49 r. Pict. LV.



XXIII, 765-778.


F. 50 r.

Pict. LVI. F. 50 v.



XXIV, 244-253.

F. 51 r.



XXIV, 283.

Pict. LVII. F. 51 v.



XXIV, 329-342.

F. 52 r.

Pict. LVIII.

F. 52 v.

